

HIPPARCHVS,
DE RELIGIOSO NEGOTIATORE,

Diſceptatio

MEDIASTINVM inter ac TIMOTHEVM:

QVÆ NEGOTIATIO A RELIgioſo ſtatu abhorreat.

Lucubratio RENATI A VALLE Magiſtri in Theologia.



FRANCOPOLI
Apud Petrum Saluianum.
M. DC. XLII.

Non erit mercator vltra in domo Domini exercituum in die illo. Zachar. 14.



VRBANO VIII.

[a] SANCTISSIMO AC BEATISSIMO

[b] PATRI PATRVM,

[c] EPISCOPO EPISCOPORVM,

[f] VNICE' SVMMO ET SINGVLARITER GENERALI.

[g] INSPECTORI OMNIVM,

[h] CONSILIARIO NECESSARIO CRISTIANORVM,

[i] PETRO TEMPORIS NOSTRI,

[k] APICI SVPREMO ECCLESIARVM DEI;

[l] CINGVLO COMPREHENDENTI VNIVERSOS CHRISTIANOS, F.

STRVMAM fœdè dehonestantem lectissima membra mystici corporis in quo secundùm Christum caput emines, PATER BEATISSIME; quam nuperrimè culter Apostolicæ animaduersionis recidit, Sanctè ac iure quàm optimo desectam; demonstrandum suscipio. Non

a Lotharius ad Nicol. I.
b Iuo Epist. 12.
c Arnob. psal 138.
f Petrus Blef. Episto. 27.
g Pamphilus Abydorũ ad Petrũ Fullonẽ.
h Chrysostom. hom. in SS. Petrum & Paulum.
i Orientales in Profess. fidei versa à Masio.
k Theodorus Stud. ad Mich.
l Patriarcha Orientalis in Profess. fide.

adhibeo suffragium hominis mortalium postremissimi, firmando sensui capitis, cuius iudicium præiudicata autoritas fit in cœlo; Non adiungo Soli cicindelam; Neque Oceanum corriuatis peranguftis tenuium stillicidiorum colliciis locupleto. Consilium duntaxat est, quod suprema SANCTITATIS tuæ autoritate cautum, pij quique gratulantur, BONVM FACTVM adscribendo, pro tenuitate mea celebrare. Enimuerò vt Institores, Religiosa nomina ementientes, qui domum orationis facerent domum negotiationis, Christi flagellum tibi concreditum persentirent, iustum & æquum omnia iura pronunciant. Ne in ipsa propè sancta inferrentur sordes, & sacra penetralia contaminaret auaritiæ putor, seriò cautum; nemo nisi Giezitarum quispiam tetra nundinatoris illius scabie correptus, expostulandum putet. Nitorem denique, per secretionem à cœno secularium negotiorum, & inde afflatam fragrantiam; Deo acceptam, sacris Institutoribus probatam; nidore turpium mercimoniorum inquinari; ferendum non fuit. Hoc igitur puritatis institutorum sacrorum per administros tuos studiũ, PATER SANCTISSIME;
Apo-

Apoſtolicæ doctrinæ quam diuitis depoſitorij fidui cuſtos aſſeruas, Conciliorum ſcitis, Patrum oraculis, belliſſimè congruere, hoc qualicunq; labore monſtratum venio. *Sed licet membranas inciderim*, (dico ex [a] Anaſtaſio ad Nicolaum I.) *ſchedulas præparauerim, non tamen hunc Codicem conficere auſus ſum, antequàm à Dominatione Veſtra, ô millies beate, licentiam adipiſci promerui. Neque enim fas eſt, vt abſque Vicario Dei, abſque Clauigero cæli, abſque curru & auriga ſpiritualis Iſraëlis, abſque Vniuerſitatis Pontifice, abſque vnico Papa, abſque ſingulari Paſtore, abſque ſpeciali Patre, abſque te omnium arbitro, aliquid conſummetur, aut diuulgetur. Tu enim tenes claues Dauid, tu accepiſti claues ſcientiæ. In arca quippè pectoris tui, tabulæ Teſtamenti, & manna cæleſtis ſaporis requieſcunt. Tu enim* [b] *quod ligas, nemo ſoluit; quod ſoluis, nemo ligat: qui aperis & nemo claudit; claudis & nemo aperit. Vicem namque in terris poſſides Dei.* Quod agentem cum Romano Pontifice molibus negotiorum vniuerſi orbis grauato, breuitatis commoneat [b] Ioannes Carnotenſium Antiſtes, ſapientis moniti memor, [c] capitis omnium beatiſſimis pedibus aduolutus, SANCTITATI TVÆ in hoc [d] mundi cacumi-

[a] Præfat. ad vitam S. Ioannis Eleemos.

[b] Ioannes Sariſber. Epiſt. 14.

[c] Paſchaſinus, actio. 1. Conc. Chalced.

[d] Fulg. l. de Incar. c. 11.

ne, cumulum exaggeratum bonorum omnium, déque ſuis annis adiectionem apprecatur,

Deditiſſimus

RENATVS A VALLE.

APPRO-

APPROBATIO.

LIber cui titulus eſt, *Hipparchus, de Religioſo negotiatore*, tantum abeſt vt aliquid contineat à doctrina S. R. Eccleſiæ & fide Catholica diſſentaneum, vt potiùs vniuerſa quæ eo libro continentur, magnum Autoris deſiderium ſpirent, præſeruationis Religioſarum domuum à ſordibus; quas Satanas variis prætextibus in eas inferre tentat, contaminata ſacrorum inſtitutorum puritate. Quare liber eſt, non luce tantùm, ſed etiam commendatione digniſſimus, noſtro qualicunque iudicio. E Muſæo noſtro, 1642.

IOANNES A QVERCV
S. Theologiæ Doctor.

PHILIBERTVS TATIVS
S. Theol. Doctor.

Synopsis Operis.

ADITVS
AD
Disceptationem.

1 ST apud Platonem Dialogus, cui nomen *Hipparcho*, quòd in eo Socrates de lucri cupiditate, & honesto, aut inhonesto quæstu cum Hipparcho disserat. Eum titulum, congruè aptaturus videor, disceptationi de argumento non dissimili; Num quæstus ex negotiatione, à Religioso statu abhorreat. *Mediastinus*, (id negotiatorum Religiosorum Patrono nomen,) lucri vndecunque bonum odorem ducens, etiam ex mercatura & negotiatione, augeri posse citra labem ac probrum, religiosæ domus censum, contendit. Is cui causæ à Saluiano in Prologo librorum ad Ecclesiam assignatæ, *Timothei* nomen detulere; è contrariò, illiberalitatem & sordes religiosa nobilitate indignas in negotioso quæstu putere, nec in benè constituta religiosa domo admitti ritè posse, confirmat. Argumentum id est, huius lucubrationis, quam viri pij & religiosæ perfectionis studiosi, censuerunt huic opportunam tempori, vel etiam necessariam esse; vt quæ mollitudo, veriùs profanitas nonnullorum Præfectorum in sacros cœtus inducit, cum certa Religiosi spiritus labefactione, & clade piorum institutorum, procul amo-

ueantur, & Apoſtoli oraculum factis comprobetur; *Eſt quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia.*

2. Negare ſanè non poſſumus, eſſe qui præbeant hoc tempore, occaſionem iuſtam renouandi querelas illas Petri Bleſenſis Tractatu in Iobum, *ſub initium* ad illud, *Nati ſunt ei ſeptem filij, &c. & fuit poſſeſſio eius ac familia multa nimis.* [Monachi & Canonici regulares, qui viàm vitæ arctioris & ſanctum otium elegerunt, ſimplices quidẽ ſunt vt Columbæ; ſed vultu, non actu; habitu, ſed non affectu. *Venient* (inquit Dominus) *ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Non eſt hodie aliquod forum iudiciale aut venale, cui ſe viri Religioſi non immiſceant, & cui ſe importuniſſimè non importent. Mundum enim quadam ſimulatoria Religione fallentes, falluntur peſſimè, & mundo mortui negotiantur; & venantur quæ mundi ſunt.] Addit alia in eandem ſententiam, admodum flebilibus modis. Hanc igitur Scabiem de Eccleſiæ corpore extergere operæpretium eſt.

3. Neque verò eſt quod quis expoſtulet aduerſùs huiuſmodi diſputationem, vel ex ea ſcandalum infirmis ingenerandum, vel hanc fore ſacrorum quorumdam ordinum impetitionem, ex impudentia potiùs quàm ex dicendi libertate ſancta & religioſa profectam. Hoc inquam iniuria expoſtularetur: Nam ſcandalum quidem, timendum hac ex parte eſſe domeſticis, negat Caſſianus l. 7. cap. 13. haud parcè referens ſordes Monachorum varias, ex cæca argenti cupiditate & philargyria. Externorum verò ſcandalum, cui ibidem timebat Caſſianus, idcirco vetans communicari cum eis librum ſuum, nequaquam hìc extimeſcendum eſt; quum nihil hìc ſimus

produ-

producturi, quod non vltrò in externorum incurrat oculos. Itaque profari intrepidè possum illud Bernardi Epist.78.ad Suggerium Abbatem S.Dionysij, cum vulgaturus esset quædam sacrorum hominum probra, offensionem mouentia. [Nescio quid prosit, si quod mundus clamat, ego tacuero; omniúmque passim naribus injecto fœtore, solus dissimulo pestem, nec audeo nasum contra pessimum putorem, propria munire manu.] Quare perperam injicitur metus, scandali infirmis ex hac disceptatione ingenerandi. Nec minùs falsò obtenditur laceratio, vel sugillatio alicuius Religiosi ordinis. Quæ enim hîc indecora Religioso statui monstraturi sumus.] Etsi fieri videntur in ordine, absit tamen vt sint de ordine. Nullus quippe ordo quippiam recipit inordinatum. Quod verò inordinatum est, ordo non est. Vnde non aduersùs Ordinem, sed pro ordine disputare dicendus ero, non ordinem in hominibus, sed hominum vitia reprehendens. Et quidem diligentibus Ordinem, in hac re molestum me fore non timeo; quinimo gratum procul dubio accepturi sunt, si persequimur quod & ipsi oderunt. Si quibus verò displicuerit, ipsi se manifestant, quia Ordinem non diligunt, cuius vtique corruptionem, id est vitia damnari nolunt. Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo; *Melius est vt scandalum oriatur, quàm vt veritas relinquatur.*] Verba sunt Sancti Bernardi in Apologia ad Gulielmum Abbatem, cum in quasdam abusiones stringeret stylum, quæ non sunt minùs huic loco & negotio accommodata. Imò eo ipso quòd defectus Ordinum non dissimulantur, honorificè agitur erga sacros Ordines; quia viuere agnoscuntur sub defe-

ctuum cineribus prunæ virtutum; alioqui abstineretur casso conatu cineres per flacum excitandi, prout Petrus Dam. Opusc.13. c.1. reprehensionem ad quam aggrediebatur, defectum sui ordinis excusauit.

4. Imponitur denique sincero studio extirpationis corruptelarum, nomen *impudentiæ*, sed à Gnatonibus, & Guelfis, ac Crysanthiis; (sic enim Eunapius, hominem natum ad annuendum, & omnia quantumuis absurda probantem, vt placeat eis quorum potentiæ lenocinatur, non sine spe ad clauum semper sedendi, nomine Crysanthij repræsentat:) Apud eos item pessimè audit dicendi libertas & ingenuitas, apud quos improbitas insulsè & inconditè choreas agit, iuxta Isidorum Pelusiotam l.2. epist. 237. qui obseruat, nonnullos eorum quibus Magisterij thronus commissus est, cæterorum inquam Moderatores atque Præfectos, tametsi tales sint, vt eorum vita longè abhorreat à persona quam sustinent, tamen id vnum nulla venia dignum ducere, si quispiam liberam vllam vocem emittat. [Metuentes enim, (inquit,) ne quis existat, qui ea quæ ab ipsis perpetrantur, reprehendat, cum alia omnia bona, tum maximè loquendi libertatem amoliri conantur, vt deinceps liberè ac sine vllo metu peccent.] Ab istis loquendi libertas quantumuis sancta, & prudentiæ sale condita, ad impudentiam & procacitatem refertur, sed malignè atque peruerse. Nam, vt idemmet Isidorus hac macula dehonestatus, ob increpitos impios præfectos, Zozimum, Maronem, ac gregales rectè respondit l.5. epist. 421. [Neque loquendi libertas est impudentia, neque vicissim impudentia loquendi, est libertas appellanda,

landa. Sed lapsos pulchrè reprehendens, libertas est dicendi. Qui verò rectè agentes conuiciantur, eorum impudentia est nominanda. Illa quidem medicinæ est instar; hæc verò pestilenti lui comparatur. Illa ægrotos sanos reddit, hæc verò valentes conturbat.] Quare euanescit postrema illa criminatio, qua discussio abusionum, petulantiæ & impudentiæ insimulabatur; siue per eos quorum interest, & veritatis expressionem, ignominiam suam interpretãtur: siue per eos qui gnari mutire duntaxat non eloqui, turpe silentium & ignauam abblanditionem, imis subselliis præeligunt, pecuinum planè ac mediastinum, vereque seruile cum seruilitate, bipedum genus. Ioannes Sarisber. l. 6. Polycr. c.28. ab huiusmodi Gnarthonicis veri professionem coęquari crimini maiestatis professus, addit l. 7. c 24. omnes benè compositos, illam sanctam libertatem approbare; Tyrannicam duntaxat rabiem eam perhorrescere, & impedire: Et Tyrannidem appellat, peruersionem sacræ præfecturæ; vt etiam censuit Isido. Pelus. l.2. episto.125. & 234. addens nominatim, expelli ab eis, qui liberè loquuntur, idque Tyrannidis patens indicium esse contestans.

5. Sic remotis Disceptationis obicibus, aduersus negotium perambulans in tenebris descendamus in arenam, dextro cornu Crucis armati: sic enim faciendum admonet Sanctus Bernardus serm. 2. de S. Andræa. Larua quippe honestatis, mercimoniis Religiosorum obducitur, vt hamus mortiferi quæstus securiùs glutiatur. [Verùm, (inquit ibi Bernardus,) Si quis iniquum aliquid tanquam iustum persuadere tentat, à dextris est mihi iste; Sed Iudas est; Osculo me prodit; & dextro cornu crucis, ne-

gotium perambulans, in tenebris, necesse est propulsari.] Hoc cornu armatus, nihil est quod extimescat in oppugnatione abusionum & propugnatione Iustitiæ, per negotium istud in tenebris perambulans, diuexatæ. Thomas quidem Cantipratanus l.2. Apum c.12.n.2.post abusus quosdam in Cœnobia inuectos, liberi iudicij falce succisos, post interpellatam Rectorum Ecclesiæ sollicitudinem illis vocibus; [O quis veniet? O quando venturus est summus Pontifex, cuius æquitate librata, miseria ista & insania corrigatur!] subdit. [Sed dicetur forsitan mihi, nec dubito quin dicatur. Quis est iste qui posuit os in cœlum, & ad arcam fœderis, etiam inclinatam, manum indignus extendit? Irascentur fortè mihi, sed non Dominus, cuius vices semper dolui & dolebo; pro cuius veritate & Iustitia, vtinam dignus essem membris omnibus dissipari. Scio tamen, quicunque, quantuscunque ex his scriptis indignabitur, se debitæ reprehensioni obnoxium iudicabit.]

§.1. *Negotiatio, emercantium per munera, Religiosas dignitates, seponitur.*

6. NON instituitur disceptatio de quocunque negotiationis modo, sed de sola communiter & populariter dicta negotiatione, cuius honestas quoad Religiosas personas videri potest ambigua. Itaque seponenda est illa apertè fœda, & multiplici ex capite perspicuè peruersa negotiatio, qua aliqui intra Religiosum ordinem exercent mercaturam præfecturarum ac dignitatum, dantes & accipientes eo intuitu munera.

Non debeo videri incredibilia proferre, cùm certa profero. Esse enim Religiosos, qui fœdum huiusmodi mercimonium exerceant, & apud Sanctum Anselmum legimus, l.3. epist.120. itemque apud creditum Cyprianum sub finem Prologi de Oper. Card. & vtinam nullis esset recentibus exemplis testatum. Nec ago de minutiis munerum, qualia S. Antonius suis benefactoribus transmittebat, ex S.Athanasio in vita c.26. aut qualia Eustochius mittebat Sancto Hieronymo epist.19. armillas, columbas, canistrum cerasis plenum: Aut qualia eidem transmittebat Marcella, cereos, sellam, saccum, calices, de quibus gratias agit Epist.20. Eiusdem generis sunt, pyxis exigua cereis agnis puris aut conuestitis referta, theca vna aut altera cum suo instructu, pileolus, calyptra lecticaria, sacerdotale Breuiarium, pius quispiam libellus, & alia eiusdem rationis, vel minutiora. Quæ vel amicitiæ vel obseruantiæ pignora, ab iis qui dare sine labe possunt delata, nemo intercluserit; præsertim si purus sit dantis animus, nec hamatum munus porrigat, aliis similibus, vel in eodem genere potioribus inuncandis intentus: quod qui faciunt, illiberalitatis & auaritiæ à Philone damnantur l.de Plantat. Noë, conferunturque cum piscatoribus, qui escam paruam pisci glutiendam apponunt, vt totum piscem prehendant. Has munerum minutias volo dimissas, sicut etiam non damnari propter eas Ordinatorem, si absit pactum, dixit Alex.III. parte 50. Conc. Later. c.3. Ago igitur de muneribus magni momenti, cuiusmodi aliquando exhibita nouimus. V.G. de centum duplionibus aureis Hispanicis, de quinquaginta Breuiariis Sacerdotalibus exquisitio-

ris formæ,& concinnè compactis,quorum pretium aureos centum excedat. Hæc enim non ſunt munerum minutalia, nec ad merum teſtimonium religioſæ charitatis aut obſeruantiæ referri poſſunt; cum vni cuipiam è magnatibus dantur, penès quos eſt ſumma rerum. Dantur igitur vt mollitus accipientis animus, refundat quod habet ad manum, & tam beneuolo muneratori gratus, nolit eſſe ſub odio, quem affectus xeniis delinitus, intellectui lenocinatus, bonum & amabilem, atque adeò promotione dignum exhibet. Ignem ſpinis ſuppoſui. Sed tanti eſt, veritatem Dei in iniuſtitia non detinere, quod Apoſtolus cenſuit probroſiſſimum.

7. Quamuis autem hæc dignitatum nundinatio, nomine mercaturæ & negotiationis venire queat, planéque poſſit integrari ex vera emptione & venditione, vt negotiationes aliæ propriè dictæ; tamen vix eſt quod in tali negotiatione exagitanda ponamus operam: quandoquidem quatenus verè eſt ſacrarum dignitatum emptio ac venditio, non diſcrepat à pura & puta ſimonia, de cuius monſtroſitate fusè alio loco diſputatur. Deinde adeò ſpurca & fœda eſt huiuſmodi negotiatio, vt nemo ſe ea diſtentum profiteri velit; ſed qui illam obeunt, attentiſſimè inuigilent, vt lateat negotium, vel alio quopiam extraneo titulo quaſi tectorio obducatur; putà erogandæ egenis eiuſdem nationis eleemoſynæ, aut tuendæ dignitatis primario cuipiam muneri gentem ſpectanti conſentaneæ. Qui tamen colores & prætextus, nequaquam purgant ſimoniam, cum munus pecuniarium, aut aliquid pecuniæ æquiualens, confertur aut accipitur tanquam pretium mente intentum, exhibitum aut captatum ad parandam

vel

vel compenſandam religioſam præfecturam; tametſi ſecluſa formali & ſenſibili pactione de conferendo eo pretio. Nihilominus enim penſitationem muneris, eiuſve acceptionem, aut vtramque, ſi vterque eum quem dixi animum induerit, eſſe ſimoniacam, clarum eſt ex notione ſimoniæ mentalis. Quod tamen ij, quos attigi, prætextus quærantur, & nemo adeò effrons ſit, vt palam & publicè profiteri auſit tale mercimonium; argumento euidenti eſt, eius fœditatem non egere eductione, vel diſcuſſione. Quare mercaturam illam hoc loco ſeponamus, tanquam apertè auerſandam, nec ancipitis malitiæ; præſertim ſi venalitate propriè dicta ſordeat. Duplex quippe in hac re ſecerni poteſt venalitas: vna propriè dicta per veram emptionem & venditionem, ſaltem mente exercitam; alia ſimilitudinaria, quæ ſecluſa rigoroſa ratione mercis ac pretij, in præfecturarum collatione aut acceptione, æque tamen intuitu dignitatum ſacrarum exhibet aut admittit munera. Neutram exagitare iuſta tractatione eſt animus, ob cauſam propoſitam.

8. Tantum, quia alterutra in rectè alioqui conſtitutas Religiones variis prætextibus obrepit, admoneamus obiter; priorem non modo illiberalem & ſordidam, ſed apertè ſacrilegam & impiam eſſe; cum contineat emptionem ac venditionem ſpiritualis iuriſdictionis, quæ nullo humano pretio æſtimari poteſt, cum ſit perfuſa Chriſti ſanguine, & à Chriſti inſtitutione trahat originem. Argumentari præterea contra eam iniquitatem licet ex crebra inhoneſtate, & indignitate venalitatis præfecturarum ſecularium, quæ purè humanæ ſunt, & citra omnem comparationem deſpicatiores. Verum eſt at-

tari inter politicæ doctrinæ Tractatores, an officia humana & præfecturæ seculares, possint absque labe venales exponi, & diuendi accurrentibus, vt variis locis fert vsus. Idque per se loquendo, graui, aut etiam quacunque culpa liberant non pauci Theologi; damnant autem alij, per se item rem spectando, inter quos Adrianus in 4. q. de vsura §. *ex his suboritur*, Ioannes Medina q. 4. de vsuris, & q. 26. de restit. & Torres 4. 2. in 22. dispnt. 23. dub. 2.

Rem videtur attigisse Caietanus in summa V. *Officiorum secularium venalitas*; docens, speculatiuè loquendo, negotiationem circa illas præfecturas exigente necessitate publica, innoxiam esse; quia venalitas in ea officia & præfecturas intrudi potest ratione variorum annexorum; putà ratione eminentiæ supra cæteros, quæ est aliquid pretio æstimabile; Item ratione excessus iusti stipendij. Stipendia enim officiorum, præsertim sublimiorum, solent esse auctiora, quàm præcisè ex iustitia deberentur, quia ita spectat ad Principum dignitatem, & præfecturæ amplitudinem; vnde ratione illius excessus stipendij, præfectura venalitati subesse haud immeritò potest. Denique suppetit titulus alius eiusdem venalitatis, ex opportunitatibus licitè augendi rem domesticam, & suos promouendi, ac multos extraneorum sibi viis honestis obstringendi. Hæc sunt, quæ per se rem spectando, officia secularia negotiationi obnoxia faciunt, & subiecta venalitati, si publica necessitas ad eam venalitatem adigat. Per accidens tamen, & penès varia extrinseca capita, venalitatem publicorum Officiorum cum publico bono pugnare posse, atque adeò frequenter esse mortaliter grauem, optimè prosequitur supra Caietanus,

ietanus, & præiuerat Sanctus Thomas Opusc.21. *ad quintum quæsitum*; subscribúntque Soto l.3. de Iust. q.6.art.4. Azor Tomo 3. l.8. c.7. de venditione. Rebellus 2.p. l.9. q.18. sect.2. Less. l.de Iust. c.32. n.28. Auersantur quoque eam venalitatem Petrus Gregorius l.47. Syntag. cap.1. & Adamus Gontzen l.7. polit.c.22. n.16. ac 18. post Nouellam 8. Coll.2. tit.2. in præfat.

9. Ratio est; quia per huiusmodi venalitatem, viri alioqui digni, vel coguntur annumerato pretio emere quod propter virtutem debebant gratis accipere; vel (quod frequentissimum est,) coguntur carere publicis officiis seu dignitatibus, non absque aliquo dedecore, & magno publici boni detrimento. E contrario autem indigni, quia vt plurimum abundant opibus, facilè ad publica officia prouehuntur, quæ grauis est deceptio Reip. contra iustitiam commutatiuam, ac proinde obligans ad restitutionem, vt Lessius rectè notauit, lib. de Iust. c.12. n.129. Ad hæc, per eam venalitatem obtunditur ingeniorum acies, hebescítque vigor mentium, quæ ad studia & dotes publicis officiis consentaneas conniterentur, si illhac aditus ad honores pateret. Denique qui priùs emit officium (vt Basilius Imperator in commonit. ad Leonem filium c.43. probè monuit,) cùm non emerit nisi vt lucretur; eò ferè venit, vt sigillatim vendat, quod vniuersè comparauit pretio, captétque cum Iustitiæ dispendio, iteratum vacuati marsupij tumorem: quod tametsi simoniacum re vera non est, vt Petrus Blesensis epist. 95. malè existimauit, est tamen fœdum & iniquum. Hæc omnia frequentissimè, (tametsi per accidens,) præfecturarum secularium venalitatem commacu-

lant, cùm non honeſtatur per publicam neceſſitatem. Quod ergo ferè vſu venit in officiorum ſæcularium venditione & emptione, valet multo magis circa religioſam præfecturam, etiamſi eius emptio ac venditio non eſſet ſemper per ſe ſacrilega, qualem re vera eſſe præmiſimus.

10. Poſterior venalitas, quam appellabam Similitudinariam, & cuius vſus periculoſior eſt hoc tempore, etiam in familiis alioqui benè conſtitutis, ſordet multipliciter. Ac primùm omnes maculæ, quibus venalitas præfecturarum ſecularium plerumque dehoneſtatur, vt vidimus, habent hîc quoque locum. Nam & indigni quique hac ratione erepunt ad dignitates, & digni arcentur ab iiſdem. Item vigor mentium ſopitur, & acies ingeniorum hebeſcit. Ac vt munera ſuppetant, vnde perpetuatio dignitatum, vel promotio ad altiores gradus obtingat, laxandum ſæpenumerò eſt, vbi fuiſſet contendendum: & iis indulgendum eſt, quibuſcum ſeuerè agi, diſciplinæ ratio ferebat. Nimirum munus non tantùm excœcat oculos, vt habetur Exod. 23. ſed etiam vt addit Siracides c.20. *quaſi mutus in ore, auertit correptiones.* Senſus eſt, munera eſſe in ore Munuſcularij, (verbum eſt Ioannis Sariſberienſis, l.1. Polycr.c.11.) veluti frænum, aut linguarium, quod elocutione prohibeat, & hominem efficiat mutum, ne corripiat in exhibente munera, quod alioqui clamoſa & ſtrepera obiurgatione inſectaretur. Bellè (ſi tamen ſolidè) Dionyſius & Lyranus, per *mutum in ore*, intelligunt ranæ ſpeciem, quam Græci καλάμιτα appellant, cuius iniectione in os canis latrantis, prohibetur latratus. Additque Albertus l.26. De Animal. Si huiuſmodi ranæ oſſiculus,

lebeti

lebeti in quo aqua ferueat, injiciatur, fore vt illico ebullitio resideat, & aqua detumescat atque deferueat Similiter enim quantumcunque feruens Præfectus,& paratus zelo Iustitiæ insurgere in aliquem noxium, si munus ab eo admittat, pònet illico iras; nec vltra allatrabit reum, erga quem est emollitus acceptione muneris. Et volo Præfectum munera admittentem, sapientem alioqui & iustum esse: nam talem quoque Præfectum, prudentem inquam & iustum, subuertendum & excœcandum esse per munera, disertè monuit Spiritus sanctus, Exod. 23. [Quod si munera, Sapientum excœcant lumina, insipientum quid non faciunt?] Argumentum est Isidori Pelusiotæ l. 5. epist. 182. Quid inquam Ordini commodum in munerum delatione, atque adeò in tota vniuersi cœtus rectione expectandum erit, si præterea ij, penes quos est dignitatum distributio, secundùm prudentiam carnis, quæ mors est, & mera apud Deum insipientia, distribuant dignitates religiosas; fixum habentes eos duntaxat honestare, qui minùs ingenio valeant, aut [redacted] meticulosiores, ac obsistere inepti, quicquid ta[redacted] audeat & machinetur is cui subsunt? Sunt enim quidam Politici spirituales in Ecclesia, nec desunt in religiosis cœtibus, qui imitatione exprimunt Theophilum Alexandrinum, vafrum Antistitem, & ex carnis spiritu ac mundi legibus, illud præter cætera indignè seruantem, vt nunquam sacras insulas vlli committeret, quem videret ingenio & prudentia exquisita pollere: sed ferè hebetes tantùm, inter quos, ac supra quos, securè regnaret, promouebat, aut promouendos curabat, quà patebat ambitus Orientalis Ecclesiæ vniuersæ. Hancque fuisse germanam cau-

ſam, cur electioni S.Ioannis Chryſoſtomi in Antiſtitem Conſtantinopolitanum, ad rabiem vſque obſtiterit; quod de viro ſapientiſſimo, & robuſtiſſimi pectoris, circum agendo pro nutu, aut frangendo deſperaret, ſcribit in S. Chryſoſtomi hiſtoria Georgius Alexandrinus. Si igitur munuſcularij diſtributores dignitatum religioſarum, non modò munerum viſco capiantur, ſed etiam hoc Politiciſmi cancro exedantur, actum planè videri debet de diſtributione dignitatum, vniuerſaque rectione: Nam hinc hebetes, vt criſtis, politici Præfecti ſit locus; inde à virtute malè conſtituti, exoculatis & mollitis per xenia & dona diribitoribus, occupabunt ſoli prima ſubſellia, iudicio diribitorum munuſculariorum: quæ quanta ſit corruptela atque peruerſio, nedum labefactatio & ſuccuſſio religioſi ſpiritus, nemo ſatis explicet. Tuncque comprobari ait Cantipr. l.1. Apum. c.2.n.1. quod ait Sapiens: *Vidi ſeruos in equis, & Principes quaſi ſeruos ambulantes in terra*, Eccl.10. Itaque penes hæc incommoda, æquè ſimilitudinaria iſta venalitas Religioſarum dignitatum improbanda eſt, ac propriè dicta venalitas officiorum ſecularium, vt præmiſi.

11. Conſiderandi verò præterea ſunt ſpurci natales, ſimilitudinariæ huius venalitatis in religioſa familia, tum ex parte munuſculariorum, tum ex parte præbentium munera. Quoad munuſcularios, liquet interuenire auaritiam, ſiue captent munera, ſiue admittant non captata. Nam viri ſanctiſſimi quos auaritia non contaminabat, æquè puri deprehenſi ſunt in excutiendis manibus ſuis ab omni munere, ac in donis non aucupandis; indéque celebrati ſunt tanquam illimes ab auaritia, quod munera reſpue-

respuerent vltrò delata. Videndus de Eugenio S. Bernardus l.3. de Consid. c.3. & Ioan. Sarisber l.5. Polycrat. c.15. Rursúsque de Martino Presbytero Cardinale Sanctus Bernardus l.4. de Consid. c.5. Qui igitur munera vel acceptant, vel, (quod turpius est,) aucupantur, sordent ab auaritia, & turpi cupiditate. At hæc quàm tetra sit nota in homine religioso; quàm, inquam, indignum & fœdum sit, hominem qui calces sæculo illisit, regredi ad fimum rerum terrenarum, quem abiecit, circùm se denuò aggregandum, res ipsa loquitur. Spiritus Sanctus, nihil esse auaro scelestius, disertè pronunciauit. Quod si de quocunque auaro verum est, (vt est sanè verissimum) deficiunt verba, quibus deprehendatur virulentia & malignitas auaritiæ, in homine elongationem ab auaritia sanctè professo, & eius excisionem ritè pacto cum Deo. Nolo hoc vlcus fortiùs premere, quod & per se exundet eius sanies, & inferiùs §.3. recursurus sit de ea virulentia sermo.

12. Iam verò Religiosos munerarios, exhibitione donorum superbiam ferè, & ambitionem suam prodere, cum summus Pontifex Clemens VIII. sua de muneribus constitutione, (quàm euiguisse dolendum est,) annotauit num.8. hancque fuisse ferè vnicam illius constitutionis edendæ causam monuit Diana Tract. de Paupertate religiosa, Resol.12. Tum iam olim creditus Cyprianus in Prologo libri de Oper. Christi Cardinalibus *sub finem*. Nam cùm expostulasset Religiosum ad munera porrectas manus non claudere, subdit paulo post, quo hæc munerum exhibitio pertineat; nempe vt *qui munera prabent, per fas aut nefas ad loca superiora se ingerant*. Hæc verò est cæcitas detestanda. An enim tanta

est sarcinæ cupiditas, tantumque dominandi in cleris desiderium, vt etiam in domo humilitatis, aditus ad personatos honores, malis hisce artibus, aperiendus videatur? [*O curas hominum* (exclamat in hanc rem Petrus Blesensis epist.28.) *ô quantum est in rebus inane!* ô inanis gloria! ô ambitio cæca! ô terreni honoris inexplicabilis fames! ô tinea cordium, animarum subuersio, cupiditas dignitatum! Vnde obrepsit hæc pestis? vnde eualuit hæc execranda præsumptio?] Legesis cætera, quibus homo disertus æquè ac pius, concitatur, in hos (vt vocat) bestiis omnibus bestialiores, quærentes ducatum honoris, & currentes ad cathedras pestilentiæ, vt se & alios super quorum capita impositi sunt, extremo exitio inuoluant. Potenter item ac validè in huiusmodi vesaniam conclamat Sanctus Chrysostomus hom. 29. in Epist. ad Rom. *sub finem*. Auersanda igitur est munerum exhibitio atque captatio, tam fœdæ cupiditati obstetricans.

13. Virulentiam rei munerariæ per effectus suos & causas hactenus satis expressam, frustrà viderer, aduocatis in huiusmodi corruptelam testimoniis Scripturarum, & Sanctorum Patrum exagitaturus. Scripturas bene multas in hanc rem accumulat Melissa l.2. serm.7. & 8. & Antiochus homil.9. ac Petrus Damiani Opusc.35. Sanè Iob.c.15. contestatur, ignem deuoraturum tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Quem locum aduersus suos administros munera accipientes, allegauit Sanctus Ioannes Eleemosynarius, vt scribit Leontius vitæ eius author c.4. Et Dauid eos in quorum manibus iniquitates sunt, à quibus longè auerti cupit, dexteram ait repletam muneribus, Psal.25. Illud verò, vnde

vnde acceperint Melissa & Antiochus, non inuenio. *Perdit seipsum, qui accipit munera. Qui autem odit acceptiones munerum, viuet.* Nimirum, vt ait Antiochus, [Quisquis captat munera; aut plus quàm par sit quærit possidere; item pecuniæ auidus & fœnerator; quatuor hi, vnum eundémque trahunt currum, sed eo præduce qui superbiæ auriga est & princeps, &c. Non igitur æquum fuerit, vt qui sanæ sunt mentis, tam cruenti hostis fræna patiantur, ne illius aurigatione cum suo auriga in puteum abripiantur supplicij.] En quomodò perdat seipsum qui accipit munera, iuxta Scripturam allegatam. Aperiunt pleniùs captationis vel acceptionis munerum malignitatem, qui de ea vitanda disserunt: Philo de Iudicis officio Isido. Pelus. l.5. epist. 182. S.August.c.15. Regulæ. Blesensis epist.10.*in fine*. Petrus Damiani dicto opusc.31. Raymundus Iordanus, solo nomine Idiota, in opere de oculo mystico c.6. à num.6. Ioannes Sarisber.l.5. Polycr. c.15. Bernardus de modo benè viuendi, serm.61. Basilius in c.1. Esaię ad illud *diligunt munera.* Optimè creditus Ambrosius, reuera Hilar. Diaco. 1.Cor.6. ad illud, *sed ego sub nullius redigar potestate,* notat, Apostolum noluisse munera accipere, ne authoritatem magisterij concessam sibi à Domino, inclinaret. Non enim potest constanter argui à quo accipitur, maximè cum ideò promptus ad dandum sit, vt sibi humiliet præpositum. Vnde & dicit, *sed ego sub nullius redigar potestate.*] Et 2.Cor.7. ad illud *Dederunt Deo, deinde nobis,* admonet esse qui datis muneribus [Redimunt præpositos suos, vt vitia eorum patiantur, nec arguant; quia munera excæcant oculos, & vim authoritatis inclinant.] Redolet quoque in superiore

ea agendi ratio alium animum à paterno, iuxta illud Sarisberiensis cum Adriano Papa agentis l. 6. Polycr. c. 24. [Si pater es, quare à filiis munera & retributiones expectas?]

14. Iurè igitur Cluniacenses in Constitutionibus sub Hugone 5. editis tit. de muneribus, excommunicatione mulctarunt inuehentes hanc munerum pestem in religiosum cœtum, cum de electionibus agitur. Quod fulmen in eos maximè vibrandum esset, quorum partes sunt Ordinum puritati & conseruationi consulere, si piceatis manibus deprehenderentur. Quo in genere, breuis sed vehemens ac fortis de more est, increpatio qua Isidorus Pelusiota Lucium Archidiaconum ferit, ex electionibus quæstum facientem. Cum enim pro Archidiaconi munere, Præsuli assisteret, isque siue præ senio, siue præ mollitudine omnia Archidiacono permitteret, homo philargyria corruptus, totus erat in marsupiis eorum qui prehensabant dignitates ecclesiasticas vacuandis acceptione munerum. Et, quod Andræas Sottus ad l. 5. epistolarum Isidori benè annotauit, erat Lucius ille de cœtu Religiosorum, æquè ac Maro & Zozimus. Vnde & dignitates, quæ prehensabantur, æquè erant religiosæ, cuiusmodi in Occidentali Ecclesia iam olim fuerunt Canonicorum Regularium. Itaque Isidori epistola huc bellissimè cadit. [Oculi (inquit,) sunt Episcopi, venerandi altaris Diaconi. Tu verò cum horum sis permissione diuina princeps, totus oculeus esse debes, perinde vt illa multis oculis prædita animalia, (quæ propinquo ad Deum accessu imitaris; non vita, vt audio, sed sola sacri muneris functione;) neque per improbas actiones offundere tenebras, & venerabili illi

lii illi sodalitio, ac cœtui, & Episcopo, qui tali absque iudicio obsequitur. Neque diuinum altare, auaritiæ iniquitate contaminare, neque electiones quæstui habere, vt ex illarum pretio opes ac reditus tibi compares. Nam eos qui columbas vendebant, Christus flagellatos è templo proturbauit. Quare ne tu quoque vnâ cum illis expellare, desine tales diuitias colligere, & materiam ac pabulum futuro igni sempiterno præparare.]

15. Non existimo operæpretium, aduocare in hanc causam, quæ profani, aduersus Præfectorum, & quorumcunque Magistratuum piceatas manus, prouincias per accepta munera exhaurientes, iam olim in Ethnicismo sanxerunt. Neminem sanè latet, quanta olim vigeret profusio in muneribus præsertim natalitiis ac saturnalitiis. Omnino multa ex variis in eam rem congessit Martinus à Roa lib. de die Natali sacro & profano c.12. & 13. Bellè nominatim Hispanus Poëta lib.8. irridet Clytum qui sæpius in anno natale suum celebrabat, vt munera ab amicis eo colore emungeret:

Vt poscas Clyte munus, exigásque
Vno násceris octies in anno;
Et solás puto, trésve, quatuórve
Non natalitias habes Calendas, &c.
Quòd si ludis adhuc, semelq; nasci
Vno iam tibi non sat est in anno,
Natum te, Clyte, non semel putabo.

Quamuis autem res ita haberet quoad priuatos, constat tamen Magistratibus vetitum, etiam natali suo aut Saturnalibus accipere munera. Id quod Plinius docet l. 4. epist. ad Vrsum, agens de Iulio Basso, quem Bæbius Macer Consul designatus, ob accepta

diebus illis munera, reum egit repetundarum. Nam cum Bassus, quæ alij furta ac rapinas appellabant, ipse munera vocaret, subdit Plinius; [sed lex, munera quoque accipi vetat.] Vtique lex Cincia de donis ac muneribus, quam denique extorsit improbitas maiorum, quibus inferiores stipendiarij ac vectigales, bello hoc prætextu esse cœperant, vt Liuius narrat. Iuliam item legem de muneribus, exhibet syllabus legum Romanarum. Quod apud Græcos, Præfecti & Iudices ferrent sententias adhibitis fabis, idcirco Pythagoras esitatione fabarum interdixit, significans necessariam esse Præfectis abstinentiam à muneribus, vt est apud Nicetam lib.1. Thesau.c.4. Quid Thebani Plutarcho autore? An non Iudicum & Præfectorum simulachra, vt absque oculis ne hominum personas respicerent, sic absque manibus efformabant; vt munerum abstinentes significarentur? Vbi verò ad Magistratum vt ad auream messem ascenditur, sicut ille iocabatur, Magistratus oculatas manus habent, quod habet Plautina Comœdia: Iudicia quippe, prostant in manibus. Sed hæc vt externa missa facio, nostrorum Iurisperitorum SS. inquam Patrum, quos Leontius Byzantinus, admirabiles S.Spiritus consiliarios egregiè vocauit, suffragio contentus, quibus subscribens Petrus Blesensis episto.10. illud scripsit memorandum. [Peremptorium est in Principe (& æquè in quouis Superiore) auram adorare munerum. Teste siquidem Propheta, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Transibunt verò iniquitates in pœnam, & munera in dolorem, quia testimonio Iob, *ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.*

16. Cæte-

16. Cæterum frustra Scripturas, frustra Patrum increpationes, in hanc abusionem producimus. Nam qui talia peccant, obsurdescunt ad huiusmodi tonitrua. Itaque dignissima res est, in quam supremi Ecclesiæ excubitores, ipséque Vigilum Princeps, animaduersionem suam non neget. Nobis homulis, ne tutum quidem est talia aduertere; enunciare verò & vituperatione prosequi, ad exploratum crimen pertinet, nec qualecunque. Quod enim Geneuæ, Caluino tyrannidem exercente, seruatũm scribit Hieronymus Bolsec, non minùs hic locum habet: Nimirum vt si quis vocem paulò liberiorem emitteret, illico proscriberetur vt Libertinus, vel Atheus, aut reus violatæ maiestatis, eóque nomine confestim extruderetur. Vir zelo diuini honoris motus, cùm in suorum cœtu plenario, ausus esset perpaucis hanc in sacro ordine luem damnare, non modò muneribus omnibus quantumcunque minutis exclusus est, (quod illi leuissimum fuit,) ac locum perdidit; sed etiam factione eius qui se notatum putabat, apud viros Principes suspectus factus, festucis inanium imò falsarum suspicionum in trabes amplificatis, experimento didicit etiam in vinea rubos nasci, vt habet Nazianzeni paroẽmia.

17. Porrò non diffiteor, inferiores, superioribus quibus in religioso ordine concredita est præfecturarum distributio, debere munera; sed qualia præscripsit Sanctus Gregorius l.4. in 1. Reg. c.10. ferè in fine libri circa illud, *& non attulerunt ei munera.* [Spiritualia, (inquit,) munera Rectoribus nostris tribuimus, quando debitam eis honoris reuerentiam deferimus, & ea quæ præcipiunt magna deuotione seruamus. Magna enim munera sunt reueren-

tia honoris, & humilitas subiectionis. Quia dum rectoribus nostris, & intus per humilitatem subdimur, & per exteriora obsequia foris honoris reuerentiam exhibemus, munus ei vnum præbemus à corpore, aliud à corde. Vt ergo superborum typum insinuet Propheta, non dicit, *Non attulere ei munus*; sed *non attulere ei munera*, quia dum electos prædicatores despiciunt, eis vtique honorem à corpore offerre dedignantur, & humilitatem à corde.] Horum munerum superioribus deferendorum obligationem humilibus subditis meritò iniungit Gregorius. Et absit vt ea velimus negata, cùm ista munera excludi volumus, quorum delatio ex Præfectorum auaritia, vel inferiorum superbia proficiscitur. Per huiusmodi munera (vt est apud Ioannem Sarisberiensem l.7. Polycrat. cap.17.) bonus & probatus religiosus, [ad Petrum suum formidet accedere, ac ne clanculo quidem, per impluuium auri, ac si per tegulas Iupiter elabatur in gremium Danaës, sic in sinum Ecclesiæ (*regularis*) procus descendat incertus.] Vel si talis est inferior malè sanus, sit alterius genij eo nomine dignus Præfectus. [Decétne Pastorem, (ait Sanctus Bernardus epist.42. incuruam ouem, vultúmque gerentem deorsum, quantumuis sursum aspiciat cum per terrena affectat primatum, componens cum Pastore eiusdem genij;) Decétne inquam Pastorem, more pecorum sensibus incubare corporeis, hærere infimis, inhiare terrenis, (quæ omnia facit captator munerum,) & non potiùs erectum stare vt hominem, cœlum mente suspicere, quæ sursum sunt & quærere & sapere, non quæ super terram?] Video bellissimè & verissimè in me hæc proloquentem casura, quæ de se

conti-

continenter ſubdit S.Bernardus; [Cæterum mihi indignatur ſi vel nutum facere audeam, iubétque manum ori apponere, dicens me Monachum, qui non habeam iudicare de Prælatis.] Repono quod ad iſta S.Bernardus, vna duntaxat aut altera vocula immutata, [Vtinam & oculos mihi claudas, vt nec cernere poſſem quæ contradicere prohibes. Magna verò præſumptio, ſi ouis cum ſim, in ipſum Paſtorem meum lupus ſæuiſſimus vanitatem & curioſitatem (imò cupiditatem & conterminam Gieziticæ lepram) irruere cernens, infremuero, quo ad meum fortè balatum, cruentis beſtiis à quopiam occurratur, & ſuccurratur perituro? Quid facient de me qui ouicula ſum, quæ & in ipſum paſtorem tanta feritate inſiliunt? Et quidem ſi non vult vt clamem pro ſe, nunquid non & pro me balare licebit? Sed & ſi ego ſileo, ne ponere videar in cœlum os meum; clamatur tamen in Eccleſia, *Dextera eorum repleta eſt muneribus, in quorum manibus iniquitates ſunt.*

§.2. *Negotiationem populariter dictam, à religioſo ſtatu non abhorrere, quæ ſuadere videantur. Mediaſtini diſputatio.*

18. SEpoſita eſt negotiatio dignitatum religioſi Ordinis, quam vel Simoniæ, vel ſuperbiæ & auaritiæ abortionem eſſe, diffiteri non licet. Et dimittenda item eſt illa vt S.Auguſtinus concio.5. in Pſal.70. nominat *deteſtanda negotiatio* Pelagianorum, opera ſua & negotia iactantium, excluſo diuino in ipſis negotio. Nam hæc quoque negotiatio, planè aliò pertinet. Quare hærendum nobis hoc loco eſt, in negotiatione circa merces populariter di-

ctas distenta; quæ quomodo ad mercaturam se habeat, paucis attigit Gabriel, in 4. dist. 15. q. 10. art. 1. notab. 1. aduertens mercaturam, omnem planè mercis emptionem complecti, atque adeò esse quid vniuersalius negotiatione, quæ strictior est, & sola distractione mercium ad lucrum ex reuenditione coëmptarum, interposita mutatione continetur. Hîc tamen vocum rigor passim negligitur, nec erit cur à nobis exquisitè teneatur. Aliter mercatorem à negotiatore secernit Gutierres cum aliis Iurisperitis Tract. de Gabellis q. 93. n. 42. 43. & 45. nempe quod negotiator vel ex vno solo adiudicatur, mercator autem ex sola actuum frequentatione. Quod permagni refert ad pronunciandum de sensu Canonum interdicentium sacris hominibus negotiatione, non tamen discriminat quasi substantialiter, mercaturam & negotiationem, neque negotiationis notionem extrahit à mercibus vulgaribus. Itaque populariter dictarum mercium negotiationem, à statu religioso non abhorrere; sed per Religiosos saluis & intemeratis sacrorum institutorum legibus obiri posse, suaderi videtur, his pro Mediastini placito argumentis.

19. Primò, mercatura non est aliquid ex obiecto, vllisve necessariò adiunctis malum. Imò res est generi humano commoda, & necessaria ad exigendam vitam, ac quorundam penuriam ex aliorum vbertate sarciendam. Ita Scholastici in 4. d. 15. vel 22. q. 77. art. 4. aut tractantes contractum emptionis ac venditionis, vt Mol. tract. 2. d. 339. & Abul. q. 223. in c. 25. Matth. & summistæ. V. *Negotiatio*, vel V. *Emptio*. Fateor esse quasdam negotiationes & mercaturas, ex objecto, quasdam ex adiunctis illicitas.

V. G.

V.G. Negotiatio qua aliqui impij (vt Victoria Relectione 5. sect.2. & Molina tract.2. disp.35. concl. 4. expostulant,) liberos homines absque vllo idoneo titulo vendunt, nequissima est. Similiter negotiationem Idololatriæ seruientem, tanquam ex obiecto prauam, insectatur Tertullianus. l.de Idolol. c.11. [Negotiatio (inquit) seruo Dei apta est? Cæterum si cupiditas abscedat quæ est causa acquirendi? Cessante causa acquirendi, non erit necessitas negotiandi. Sit nunc aliqua Iustitia quæstus secura de cupiditatis & mendacij obseruatione; in crimen offendere Idololatriæ eâ opinor, quæ ad ipsam Idolorum animam & spiritum pertinet, quæ omne dæmonium saginat, an non illa principalis idololatria, viderint, si eædem merces; thura dico, & cætera peregrinitatis sacrificium Idolorum. Etiam hominibus ad pigmenta medicinalia, nobis quoque insuper ad solatia sepulturæ vsui sunt. Certè cum pompæ, cum sacerdotia, cum sacrificia Idolorum, de periculis, de damnis, de incommodis, de cogitationibus, de discursibus, negotiationibúsve instruuntur, quid aliud quàm procurator Idolorum demonstraris?] Agere Tertullianum de ea tantùm negotiatione quam dixi, liquet ex his quæ subiungit. [Nemo contendat posse hoc modo omnibus negotiationibus controuersiam fieri.] Et paulò post. [Nulla igitur ars, nulla professio, nulla negotiatio, quæ quid aut instruendis, aut formandis idolis administrat, carere poterit titulo Idololatriæ, nisi si aliud omnino interpretemur Idololatriam, quàm famulatum idolorum colendorum.] Damnat igitur Tertullianus, eam duntaxat negotiationem, quæ Idololatriæ est administra, ac proinde mala est ex obiecto: quod



quamuis non ſemper contingat, etiam circa ea quibus Idololatra ad falſi numinis cultum abutitur, vt habetur ex iis quæ Sanches l.1. in Decalo.c.7. diſputat, contingit tamen aliquando. Plerumque item negotiationem, per accidens, vitio negotiantium inquinari, eſt extra controuerſiam. Idque vnum voluerunt nonnulli Patres, mercaturæ in ſpeciem infenſi, præſertim Clemens Alex. l.3. Pædag.c.11. Author imperfecti in Matth.homil.38.S.Auguſt.in Pſal. 70. ad illud, *quoniam non cognoui litteratúram*. S.Leo Epiſto. 92. c 9. & habetur cap. *qualitas* de pœnit. Diſt.5. Verùm abuſio per accidens adiuncta, non inquinat actum cui adiungitur: alioqui nihil erit purum & labis expers, cùm nihil ſit adeò ſanctum, in quod vitio noſtro & voluntaria abuſione non poſſit contaminatio cadere, vt benè monuit Nazianz. orat. 20. num. 19. & Auguſt. l.De vera Religione c.20.

20. Cum igitur mercatura, & negotiatio de mercibus indifferentibus, pura ſit ex obiecto, & per accidens poſſit eſſe illimis ac nitens, quid eſt quod prohibeat eius exercitio Religioſos? Imò expedire videtur vt per eos potiùs exerceatur, quippe qui ſincerè & abſque aſcititiis maculis illam exercebunt. Nec eſt verum, quod idcirco Religioſi dejiciendi ſint de gradu, & exuendi nobilitate. Quin potiùs ſi ineundo Religionem retinent nobilitatem priſtinam, de quo certatur ſententiis inter Iuriſperitos, (rectè tamen affirmante Ludouico Romano ſingulari 37. vbi Pignolatus alios adducit, itémque Gulielmo Benedicto in c Raynutius de Teſtam.V. *& Vxorea* deciſ.1. n.212. ac etiam Tiraquell. c.27.de Nobil. præiuerátque Saluianus lib.4. de prouid.) pote-

poterunt absque retentæ in eo statu nobilitatis detrimento exercere mercaturam, vt faciunt seculares; quorum nobilitati nihil officere mercaturæ exercitium, varij docent. Videndus Turtura l.1. De vita Hieronymi Æmiliani c.2. Pogius l. De Nobil. Stracchа l. De Mercat. part.2. n.17. & 18. Adamus Gontzen l.1. Politic. c.9. Cepola & alij adducti à Tiraquello l. De Nobil. c.33. *sub finem*. Ab his tam multa mercaturæ decora congeruntur, vt non sit timendum ignobilitati & deiectioni Religiosorum, si eam sanctè & purè exerceant.

21. Secundò viri sanctissimi fecere mercaturam; non modò antequam sæculo valedicerent, vt S. Franciscus, sed etiam cùm iam ad aratrum manum misissent, séque mancipassent Dei obsequio. Sic Sanctus Abraham ex Monacho Episcopus, referente Theodoreto in Θεοφ. c.17. ad proximos iuuandos negotiationi se dedit. S. item Franciscus Xauerius, vt scribit in eius rebus gestis Lucena l.10. c.26. mercatori famulum se addixit in mercaturæ exercitio, vt ea ratione penetrare posset ad Sinas. Quotidianum quoque est, vt in iis oris in quibus nomen Christianum aut Catholicum est exosum, naui ac strenui rei diuinos curatores, quantumuis religiosum statum professi, mercaturam faciant. Quod tametsi ab eis ex fine rei Christianæ promouendæ fiat, potiùs quàm ex studio augendi rem domesticam, tamen inde certum argumentum ducitur, mercaturam neque inhonestè fieri, neque dissentaneè à religioso statu: alioqui viri mundo perfectè mortui, & vt Cassianus Collat.18. c.7. loquitur, *Viui Martyres*, negotiatorum personam non induissent, etiam ob finem extrinsecum optimum. Sicut nemo ob finem

quantumuis ſanctum, velit agere lenonem, aut proſtibularium.

22. Tertiò olim Monachi ſanctiſſimi, tametſi mercatores non appellabantur, tamen reipſa quaſdam merces ſuas promercales exponendo, faciebant mercaturam, & negotiationem obibant. Nam etiam in Iuſtiniani conſtitutione l.11.C. *negotiatores ne militent*, qui præſunt ergaſteriis, ſiue opificinis, negotiatorum nomine veniunt. At innumeros pios Religioſos opificia ſua diſtraxiſſe pretio, teſtatiſſimum eſt. Sic enim Monachos Abbatis Aphtonij exercuiſſe omnes artes, & ex opificiis diuenditis victum paraſſe; quod verò ſupererat, per mulierum monaſteria & carceres diſtribuiſſe, ſcribit Palladius in Aphtonio c.39. lauſ. Eandem fuiſſe praxim piorum Monachorum, habetur ex Caſſiano Collat.18. cap.7. De Palamone Monacho. Idem legitur in ſancti Pachonij rebus geſtis. Archebium triplicato ſibi penſo operis manuum, per annum diſſoluiſſe debitum centum ſolidorum, quod mater contraxerat, ſcribit Caſſianus lib.5. De Inſtit.c.38. S.Vitalis Abbas ingreſſus Alexandriam, confecto omnium meretricum catalogo, cœpit laborare opuſcula, & accipere per ſingulos dies ſiliquam vnam; vnde ſingulatim nunc hanc, nunc aliam meretricem, à nefario opere auocabat per noctem vnam. Sanctum Arſenium Abbatem, catenas è palmarum ramis à ſe contextas vendentem, deſcribunt eius acta. Eiuſdem generis eſt, quod non paucos Monachos legimus rei librariæ dediſſe operam, & ex deſcriptione codicum pretio facta, victum paraſſe. Præſtitiſſe id Lucianum Monachum habetur in vita S.Epiphanij. Idem de quodam Simeone ſcribit Caſſianus l.5. De Iuſtit.

Iuſtit. c.29. Eſt qui referat Theodoſium iuniorem æmulatum Monachos, ſcribendo victum paraſſe. Sed Nicephorus quem allegat ex l.14. c.3. id non habet: ſed duntaxat tam concinnè & expeditè ſacros Codices deſcripſiſſe Theodoſium, vt potuiſſet inde parare victum, ſi libuiſſet, vt faciebant plerique ſancti Monachi. S.Hilarion, vt in eius rebus geſtis ſcribit Sanctus Hieronymus, cùm Siciliam eſſet ingreſſus, in quodam deſerto agello lignorum quotidie faſcem alligans, imponebat dorſo diſcipuli, quo in proxima villa venundato, & ſibi alimoniam, & iis qui fortè ad eos veniebant, pauxillulum panis emebant. Nihil denique frequentius in hiſtoriis veterum aſcetarum, quàm quod labore manuum, ac opificiis ſuis diuenditis, victum pararent, & ad pleraque ſancta opera ſubſidium acquirerent, quæ eſt vera negotiatio. Ac ne per ſimplicitatem, peccatum hac in parte à piis illis, ſed illiteratis Monachis quis arbitretur, habemus ſuffragatores eiuſdem vſus, Doctores Eccleſiæ eminentiſſimos. Nam Sanctus Baſilius Reg. fuſior. 37. & 42. laborem in artificiis vendibilibus poſitum, vt ſuppetat Monacho, vnde tribuat neceſſitatem patienti, mirè commendat. Item S. Auguſtinus l.De opere Monacho. c.22. & 25. valdè probat, vt qui aliquando in ſæculo opifices fuerint, admittantur in monaſterium, ad ea lucroſa opera exercenda. S. quidem Baſilius Reg. 285. breu. ambigit an inter fratres, (id eſt an inter duo Monaſteria,) fas ſit exercere hanc negotiationem venditionis opificiorum: Tandem tamen, præſertim ſi aliqua neceſſitas vrgeat, annuit vt inter fratres quoque, ita fiat. Honeſtatem verò eiuſdem mercimonij inter monaſterium & ſeculares, ſup-

ponit vt exploratam. Et apertè idem agnoſcit S.Benedictus in Reg.c.48. Improbatur ſanè à P.Damiani l.6. Epiſto.32. quod interdum fratribus ex artificio vtilibus, quodlibet, impune licet, vt de Mauro quodam in aliquo monaſterio opifice, ait. Sed hæc ſunt vitia moderatorum, non opificij ex ſe honeſti. Nonnulli item improuidi Monachi, laborem in conficiendis opificiis quæ diuenderent, vertebant in cladem pietatis, opprimentes ſe labore, vt memorat Caſſianus l.7. c.10. tamen ea ſpiritus ſuffocatio per nonnullos improuidos, nihil derogat pro ſtudio cæterorum, qui ea ratione præter lucellum ad vitam ſuſtentandam neceſſarium, declinabāt otium, qua nulla eſt Religioſo exitialior peſtis, vt præter cæteros egregiè proſequitur S.Hier. Epiſt.ad Ruſticum de Monachi Inſtitutione. Denique nonnullis viſum eſt, opus manuum, quâ victus parandi, quâ otij declinandi gratia, tantopetè Monachis eſſe neceſſarium, naturali ac diuino iure, vt neceſſariò dare illi debeant operam. In quam rem pleraque habet Caſſianus l.10.c.8. & Iſido. Peluſ.l.1.epiſt.49. Quod tametſi rejiciunt Rupertus l.3.in Regul.S.Benedicti à c.4. & S.Bonauent. l.de Paupertate Chriſti contra Guillel. de S.Amore q.1. *ſub finem* & q.2. nec reuera vt præciſè neceſſarium, aut in præcepto poſitum aſſignatur a Patribus opus manuū in Monacho commendantibus, vt à Hieronymo ſuprà, & à S.Auguſtino l.De Opere Man. tamen certum eſt, opus Monachorum in finem parandi inde victus, & ſubſidiapiorum actuum, eſſe laude dignum & meritorium, tametſi Religioſorum negotiationem contineat. Videtur enim hîc quoque locum habere illud Athalanei apud Caſſiodorum l.9. epiſt.4: [ſint ſedula operationes

peratione continui quæstus; inuidiam non paueſcant. Quod ars dicitur, à crimine liberatur.]

23. Quartò eſt alia antiqua praxis Sanctorum, apertè inuoluens negotiationem. Plerique olim ſancti Religioſi, habuere pueros ſeculares conuictores, quos intra cœnobia & virtute & literis, etiã mitioribus imbuebant, ipſimet victum illis ſuppeditabant, & educabant corpore & animo. Ita habet S. Baſilius non modò in Reg. Breuior. Interro. 292. vbi approbatur Magiſterium puerorum, quod poſſet accipi de externis pueris non conuictoribus; ſed etiam Regula 15. fuſarum, vbi latè præſcribitur forma pueros conuictores educandi, donec adoleſcant, & vel adulti facti, adſcribantur Monachis, vel ſi voluerint, dimittantur. Quod imitatum S. Benedictum, conſtat ex c. 59. Reg. & ex S. Gregorio, qui l. 2. Dialo c. 3. *in fine*, nominatim inter nobilium Romanorum filios in cõuictum S. Benedicti adſcriptos, memorat SS. Maurum & Placidum. Idque multis poſt ſæculis æquè ſeruatum Caſſini, liquet ex Actis S. Thomæ Aquinatis, quem puerulum in eo cœnobio conuictorem Monachorum fuiſſe, ac cum primis litteris lac ſinceræ pietatis ſuxiſſe, diſertè prod100unt. Commendat plurimùm eam S. Benedicti de puerorum conuictorum educatione ſollicitudinem, Turrecremata Tract. 133. in Reg. S. Bened. Scribit quoque Ioannes Diaconus l. 2. Vitæ S. Gregorij, c. 46. ſanctiſſimum illum Pontificem, puerulos Anglos in conuictum Monachorum tradidiſſe, vt à prima ætatula, ad rectam fidem & bonos mores informarentur, adhibitis in eam curam inſignibus viris: Quales inter Anglos Beda, eiuſque deinde ſucceſſor Albinus, præceptor Caroli magni; & qui Albinum

in eo item munere ſecutus eſt Rabanus Maurus. Videndus de hac antiqua Benedictinorum praxi Trithemius in Chron. Hirſaug. anno 854. & 890. ac 952. nec ſemel alibi. Itémque Acta S.Gildæ c.3. & 11. & Aymoinus libro de Vita S.Abbonis Floriac. c. 3. Multa vniuerſè de ſcholis puerorum in Monaſteriis ſignauit Sauaro ad epiſtolam 11. libri quarti Sidonij. V. Monachus. Similiter ad Moniales, tranſmitti quoque ſolitas, etiam à remotis oris, puellas conuictrices, ſcribit Beda, in actis S.Eartongotæ, *initio*. Exploratum igitur eſt, viguiſſe olim vſum informandi in cœnobiis ſeculares pueros conuictores, quos non eſt veriſimile impenſis cœnobiorum vixiſſe: præſertim cum multi erant, & nobilium ac diuitum filij, quales B.Benedicto traditos, teſtatur S.Gregorius. Ne ergo cœnobia planè exhaurirentur, parentes copioſi & locupletes, refundebant cœnobiis ſumptus factos in puerorum alimoniam; ita vt quamuis inſtitutio eſſet gratuita, iuxta decretum ſextæ Synodi can.5. tamen cibatio perſoluto pretio compenſaretur. At hoc quid aliud eſt, quàm mercimonium; ex fine quidem ſancto initum; materialiter tamen planè idem cum eo quod obeunt caupones qui paſcendis hoſpitibus quæſtum faciũt? Vel quale obeunt plerique ſeculares, in vrbibus ad quas Scholaſtici confluunt diſciplinæ gratia, quorum quantum poſſũnt numerum domi alunt, conſtituto certo pretio? Hanc enim eſſe liquidiſſimam negotiationem, diffiteri non licèt. Et tamen eam, ex diuerſo licèt fine quàm ſeculares, obiuere iam olim plerique SS. Religioſi, hodieque approbante S.Ignatio obit Societas IESV, quę paſſim habet puerorum ſeminaria ſuæ curæ concredita, & domos Conuictorum.

24. Quin-

24. Quintò, quis neget pleraque apud Religiosos superflua & malè peritura, vendi posse? V.G. olera & fructus hortorum, ac agrorum; fœnum, vina, lanitium, lac, & caseum ex ouibus, ipsásque oues & armenta, quibus religiosæ familiæ carere non possunt, nisi pascua sua velint inutilia & infructuosa relinquere. Hæc omnia, certum est à Religiosis vendi posse. Vnde enim suppeterent expensæ ad necessitates cœnobiorum quæ mendicato non viuant, nisi liceret prædictas merces, quibus abundant, pretio distrahere? Est tamen in ea distractione, negotiatio & mercatura; æquè ac in eo vsu plerisque locis vigente, quò docti Religiosi libros quos fortè conscripserint, aliter mandare typis non possunt, nisi sumptus ad editionem suppeditent. Ne autem libros immanibus expensis cusos dare siue pretio cogantur, cum certa euersione Cœnobiorum, libros suis sumptibus prelo subiectos, distrahunt certo pretio, vt faciunt seculares Bibliopolæ, quos nemo exemerit mercatorum numero. Sunt ergo Religiosi, ea quoque in parte, veri mercatores & negotiatores citra noxam.

25. Sextò mederi ægrotis, & in eam rem parare ac conficere pharmaca, est opus sanctum, nec Religiosos dedecens. Imò Palladius c.14. laus. & Heraclides in Parad. c.3. summoperè celebrant Apollonium Monachum, qui à principio diei ad nonam vsque horam, vniuersa montis Nitriæ, virorum & mulierum Monasteria, in quibus ad quinque millia degebant, sedulus circumibat, non sine pharmacis & eduliis ad ægrorum vsum Alexandriæ comparatis. Quam erga ægros Monachos & Moniales charitatem; veluti Testamento reliquit obeundam alte-

ri cuipiam rei medicæ perito, omni eiuſdem Miniſterij ſupellectile eidem legata. Hoc verò Charitatis exercitium negotiationem inuoluiſſe, ſignificat nomen eidem Apollonio inditum: dictus quippe eſt ἀπὸ πραγματευτῶν, id eſt *ex negotiatoribus*, quod idem eſt ac *negotiator*. Non igitur abſque antiquo exemplo, Religioſi periti rei medicæ, poſſunt pharmaca conficere, etiam in gratiam ſexus mollioris ac Parthenonum. At hoc peragi non poteſt abſque refuſione expenſarum, & lucro moderato, quo Pharmacopolium, & ſeplaſiæ ſupellex ſuſtineatur. Non igitur hac quoque ex parte abhorret à religioſo ſtatu negotiatio. Et videmus in Religionibus optimè conſtitutis, cernentibus atque adeò annuentibus Antiſtitibus, etiam Romæ, Pontifice non ignorante, eſſe in Religioſorum domibus Pharmacopolia, vnde pharmaca ſuppeditantur, & variis ſecularibus, & puellarum monaſteriis non abſque pretij annumeratione, quæ eſt vera negotiatio; etiam ſi cura, & vt Scripturæ loquuntur, ſuſceptio ægrarum Monialium, qualem ſecularis Medicus obiret (nam eam quoque obeunt Religioſi) ad negotiationem non ſpectet.

26. Septimò, paſſim Moniales, Epiſcopis conſciis, & Directoribus Generalibus, doctis æquè ac piis viris annuentibus, negotiationem non vnam exercent. Et nonnullæ quidem cereis agni conſecrati plagulis, ex arte concinnandis, quæſtum non exiguum faciunt. Sericis enim vel argenteis aut aureis filamentis artificioſè in globum obductas conſecratæ ceræ particulas, diſtrahunt certo pretio, quod valorem materiæ nòn conſecratæ aliquantò excedit. Nam ſub ea ratione vendi poſſe cereos agnos,

gnos, extra dubium est, vt rectè statuit Suares l. De Simonia c. 14. n. 10. & Sanches l. 2. in Decalog. c. 43. n. 29. malè refragante Valentia 22. d. 6. q. 16. p. 2. dub. 5. Aliæ verò Moniales, linteis cuiuscunque generis opificiis locant operam: Et audio in Emporio Lugdunensi, variorum Institutorum Moniales hanc negotiationem benè multis mulieribus & puellis secularibus præreptam, ad se deuoluisse, non tantùm vitandi otij gratia, sed etiam ad comparandum honestum lucellum, quo numerosum cœnobium sustentetur. Nihil affingo. Locupletes testes referunt, mercatores quia vel paulo minore pretio rem conficiunt, vel mercibus suis & materiæ suppeditatæ minùs timent, libentiùs cum Monialibus, quàm cum secularibus obire hoc negotium. Adit ergo vnus mercator Antiotitam, & ex pacto pretio, conficienda assignat simul & semel, mille indusia, octingentas ad lectum sternendum sindones, calceos linteos mille, calanticas sexcentas. Antistita ritè dissectam materiam, variis sororum turmis distribuit notato die; earúmque turmarum cuilibet v. g. Decuriæ, præficit vnam aliquam è sororibus, cuius industriam & diligentiam habeat compertam. Illa ceteras ad pensum quotidianum vrget, & eò sollicitiùs aliarum diligentiam acuit, quò charius ei est Monasterij bonum; & scilicet apud Antistitam gratia, vnde gradus ad munera potiora procedente tempore pateat. Vident ista Generales & Particulares Parthenonum Directores, & nequicquam grunnientibus secularibus puellis, (quarum plerasque, subtracto è quo victum petebant opificio, adigi ad quæstum corpore faciendum, indubius rumor est,) honestum lucrum ex ea negotiatione factum, soro-

ribus concedunt. Non igitur abhorret à religioſo ſtatu negotiatio, qualem ſeculares puellæ ante factitabant, & pergunt facere cum per Moniales licet. Quid alia, maximè quæſtuoſa, Monialium ex candidatarum dote, & oblationum ſuperpondiis negotiatio?

27. Octauò, Quotidianum eſt, vt ſexus vtriuſque Cœnobitæ pecunias ſuas per contractum ſocietatis collocent apud Campſores vel Mercatores totam operam impenſuros, & ex pacto certam ſummam annumeraturos, ſorte & fructibus in tuto locatis. Quamuis enim aliqui DD. circa eam lucrandi rationem & negotiationem Religioſis concedendam, tricati ſint: tamen praxis vniuerſalis, eſt in contrarium, & graues Theologi annuunt vt Ioannes Medina, q.30. de Reſtit. *in ſecunda cauſa illicitæ negotiationis*, verſic. *facit*. Tabienna V. *Emptio* n.16. Armilla eodem n.28. Leſſius l.De Iuſtit c.21. n.6. & Rebellus 2. parte l.9. q.vlt. num.8. Nec qui id ſimpliciter improbant Molina, Tract.2. d.342. & Gutierres Tract. de Gabellis, quæſt.93.num.30.& ſeqq. Audet graui nota id damnare, & pluſquàm leuem culpam in ea Religioſorum negotiatione agnoſcere. Negotiationem voco, quia Campſor aut Mercator, qui operam aut etiam partem pecuniæ collaturus, à Religioſis accipit pecunias, verè negotiatur. Igitur Religioſi qui hac in parte mercatoris ſocij ſunt & dicuntur, (vt patet ex nomine *contractus ſocietatis*,) citra dubium negotiantur. Quamuis autem in contractu ſocietatis, ſolus Campſor aut Mercator ponat totam operam; tamen cum cooperatores habeat Religioſos; & ita quidem, vt iis ſe ſubducentibus, collapſura eſſet Campſoris opera; perſpicuum

cuum eſt non minori iure dici negotiatores, quia
gotiationis neruos conferunt, quàm mercatorem,
i ferè tantùm confert, quod minùs præcipuum
, operam ſcilicet & induſtriam. Sunt igitur Re-
ioſi, hac in parte negotiatores. Quidni igitur
is quoque modis ex obiecto honeſtis, negotiari
è poſſint, ſi ſibi commodum ducant?

28 Nonò habemus ipſiusmet Dei ac Chriſti ex-
mplum, qui & ſe negotiatores ſunt profeſſi, & ne-
otiationem demandauere mortalibus. Deum qui-
m agere negotiatorem, egregiè tradit Hildeber-
s Epiſt. 5. Quid verò aliud Verbi cum humanita-
coniunctio, quàm negotiatio & admirabile com-
ercium? Inſigniter id proſequitur S. Auguſtinus
34. ex 40. nouiſ. & in Pſal. 30. conc. 1 *initio*. Breui-
er S. Leo ſ. 3. De Paſſio. c. 4. Diuitem hunc & miſe-
icordem cœli & terræ negotiatorem, commutatio-
e mirabili ineuntem ſalutis noſtræ commercium,
epræſentat. Totam Chriſti vitam fuiſſe negotiatio-
em, indéque injici nobis negotiandi obligationem,
ulchrè tradit Petrus Damiani ſ. 59. Conſilium item
Dei eſſe, vt hîc omnes negotientur, ideóque quod
fundamentum commerciorum eſt, pauperes & di-
uites coniunxiſſe, pulchrè docet S. Paulinus Epiſt.
12. Concludi ergo ex his videtur negotiationem
per ſe, & cum adiunctis ſuis inſeparabilibus ſpecta-
tam, nihil continere à piorum ſtatu abhorrens, alio-
qui enim Deus ad eam non inuitaret, aut etiam pœ-
nis propoſitis compelleret mortales. Et quamuis
materia negotiationis ad quam Dei & Chriſti exem-
plo vrgemur, alia ſit quam eius negotiationis, de
qua hîc diſceptatio inſtituitur; formale tamen non
diſcrepat. Ac vel eo ipſo quòd Deus & Chriſtus, ſi-

militudinem, & proportionem negotiationum nostratium non refugerunt, videri possunt sufficienter eas purgasse,& dedecentibus religiosum statum sordibus exemisse.

29. Vnum est, quod aduersùs tot & tantas pro Religiosorum negotiatione argumentationes adduci posse cum aliquo colore videtur; effusio scilicet spiritus & euagatio mentis consecutura negotiationem. Verùm timetur hac in parte, vbi non est timor. Nam S. Chrysostomus hom. 35. in Genes. Monachos hortatur ad collectionem animi in quantauis multitudine negotiorum: & vt monstret id non modò esse possibile, sed etiam haud adeò operosum, adducit exemplum Eunuchi, qui erat super omnes gazas Reginæ Æthiopum; & tamen etiam in itinere, sacris studiis, & diuinæ lectioni vacabat. Frequens item est apud spiritualis vitæ magistros ac patres, agnoscere; posse aliquem in medio foro densis negotiorum agminibus circumseptum, degere velut in solitudine, si in Deum dirigat animi oculos, & in eum semper collineët. [Qui corporaliter popularibus turmis premitur, & tamen nullos curarum secularium tumultus in corde non patitur, in vrbe non est;] ait Hugo de Folieto l. 4. De claustro animæ c. 36. Pulchrè Sanctus Bernardus s. 40. in cant. *ad finem*. [Sola (inquit) indicitur tibi mentis & spiritus solitudo, solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias quod multi suscipiunt, si fastidias quod omnes desiderant, si iurgia deuites, si damna non sentias, si non recorderis iniuriarum; alioquin nec si solus corpore es, solus es. Vidésne posse esse te, & solum, cum inter multos: & inter multos, cum solus es? Solus es in quanta-

cunque

ınque hominum verſeris frequentia.] Præmiſerat, yſticæ turturi, animæ piæ, quærendam ſeceſſioem ac ſolitudinem, ſed mente non corpore, eo quod hriſtus Spiritus ante faciem noſtram, ſolam Spiritus ſolitudinem exigat. Præclarè vt omnia Nazianenus Orat.21. agens de Magno Athanaſio, Ægypti ıonaſteria viſente, ſepoſitis Eremitis, ſubdit de Cœnobitis. [Charitatis legem per communionem & ſocietatem colentes, ſolitarij ſimul & cœnobitæ unt, à cæteris quidem hominibus, negotiiſque iis omnibus, quæ in medio voluuntur, verſantque ſimul & verſantur, ac nobis per repentinas & crebras mutationes impoſturam faciunt, mortui & extincti; ſibi ipſis autem inuicem mundi loco ſunt, ac per comparationem mutuò inter ſe virtutem acuunt & exſtimulant. Cum his conſuetudinem habens magnus ille vir, vt omnium aliarum rerum ſequeſter, & conciliator erat, nimirum illius exemplum ſequens, qui per ſanguinem ſuum ea, quæ inter ſe diſſidebant, pacificauit. Ita ſolitariam quoque vitam cum cœnobitica in gratiam reducit, illud nimirum oſtendens & Epiſcopatum philoſophiæ minimè expertem eſſe, & philoſophiam ſacri Antiſtitis inſtitutione opus habere. Sic enim hæc duo, hoc eſt tranquillam actionem, & actuoſam trãquillitatem conſociauit, & copulauit, vt perſuaſum omnibus redderet, monaſticæ vitæ profeſſionem morum potiùs grauitate & conſtantia, quàm corporis ſeceſſione exprimi, atque inſigniri. In quam etiam ſententiam Dauid, ſimul & rerum gerendarum facultate præſtabat, & maximè ſolus erat. Si cui tamen illud, *ſingulariter, ſum ego, donec tranſeam*, ad huius dicti comprobationem, confirmationémque pondus ma-

gnum habere videtur.] Basilium fratrem inde præter cętera exornat Gregorius Nyssenus in Monodia, quòd in vrbibus quasi in solitudine versaretur, eo quòd hominum congressus illius virtutem nihil læderet. Et insigniter ipse sanctus Basilius in Const. Monast.c.6. agens de Monachis opificibus, quo modo Religiosi probati possint in medio foro degere vt in Monasterio, his verbis tradit. [Si tempus aliquod inciderit, vt necessariò sub dio aliquid administrandum sit, haud quaquam hoc philosophiam tamen impediet. Qui enim verè philosophus est, is cum corpus suum curarum suarum domicilium, & animi sedem firmissimam habeat, licèt casus illum in forum attulerit, licèt in maxima conuentus alicuius celebritate versetur, licèt in monte aliquo, licèt in agro, licèt in media multitudinis frequentia sit, stabilis tamen in naturali suo monasterio manet: quippe qui mentem suam introrsum ad seipsum recollectam habeat, & de rebus ad officium suum pertinentibus philosophetur: siquidem fieri facilè potest, vt & qui se inter priuatos parietes contineat, is si negligenter se gerat, mentis agitatione circumuagetur foras: & vicissim qui in foro medio versetur, is si animo excubet, perinde sit ac si in magna esset solitudine constitutus; qui videlicet cogitationem suam ad seipsum tantummodò, ac ad Deum conuersam habeat, sensibúsque suis perturbationes omnino nullas admittat, quæ à rebus ortæ sensibilibus, in animos solent nobis incidere.] S.Chrysostomus in Catechesi ad illuminandos, (est hom.21. ad pop.) confirmat ex Apostolo, officinam posse opifici, atque adeò etiam negotiatori, esse pro Monasterio. Idem S.Chrysostomus in Psal. 140. ad illud *singulariter*

riter sum ego, donec transeam, ait, hominem mediis in vrbibus non secus ac in Monasterio posse esse *singulariter*, & vt ait, compactum, & non effusum animo. Euanescit ergo difficultas aduersùs Religiosorum negotiationes mota, ex consecutura in Religiosis per negotiationem dissipatione animi.

§.3. *Quibus confirmari videatur, Negotiationem prorsus à Religioso statu dissentire; contraria Timothei Concertatoris disputatio.*

30. OMninò multa aduersùs Mediastinum pro extirpanda è religiosis domibus negotiatione, producit Timotheus; demonstrans, quod supinitate quorundam Præfectorum, in nonnullis institutis, *claustra versa sunt in fora*, vt de suo tempore expostulabat Petrus Blesensis Epist.27. non minùs fœdum, vel etiam perniciosum & totius spiritus destructiuum esse, quàm quod ibidem addit Blesensis, *Claustra versa esse in Castra*, dum Religiosi, æquè aut etiam acriùs quàm seculares, de bellis solliciti sunt, & assiduè de iis inquirunt & tractant; intersunt animo præliis, confligunt voluntate cum suis, nec rarò cum Hæreticis aduersùs Catholicos, & quod Gulielmus Parisiensis horrendum meritò censuit l.De Moribus cap.8. cogitatione ac voluntate machæras agitant, & trucidant in quos incurrunt. Quæ monstrositas vtinam tempora Gulielmi non esset transgressa. Sed de Claustrorum conuersione in Castra, per gentilissimum eorum ad quos obstare attinebat, spiritum, alio locò agendum est, cum de

truculentia bellicrepi *Edom*, quod est interpretatum *Ruffus*, iuxta S.Hieronymum, id est, sanguinarius, atque cruentus, & terrenus. Nunc expendenda est Claustrorum commutatio in fora; non per lites; (quanquam ea quoque in parte, strenui nunc sunt Religiosi; vsque adeò, vt nuper hic vnus aliquis è Mendicantium cœtu, redemptam abs se litem secularis hominis aduersus secularem, susceperit vrgendam in Curia Rationalium, à qua cum indignatione repulsus est, rescissa Superioris facultate scripto tradita;) sed per negotiationem; quam dehonestare religiosum statum, ideóque diuino & humano iure è cœnobiis esse repellendam, suaderi istis videtur.

31. In primis, Scripturæ, negotiationis per pios homines exercitium improbant. In quam rem vulgatissimus est locus ex Psal.70. vbi Dauid de se profitetur, *Quoniam non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* Ita eum locum legunt, Vetus Psalterium Romanum, Hieronymus, Augustinus, Arnobius, Cassiodorus, ibi; necnon Gelasius Epist. ad Episcopos Lucaniæ, & S.Ambros.3. Offic. c.6. Neque discrepat nostra lectio quæ habet, *quoniam non cognoui litteraturam*. Neque item lectio Pagnini, & Hebraizantium, qui legunt, *quoniam non cognoui numerationes*, seu *numeros*. Eodem enim recidit omnium illarum lectionum sensus. Et quoad vocem quidem *litteraturæ*, videri posset interuenisse mendum, ob affinitatem Græcæ vocis πραγματείας quam habent pleraque Greca Biblia, cum voce γραμματείας, quæ in aliis quibusdam Græcis codicibus exhibetur. Tamen admissa & retenta (vt par est,) ea lectione quam exhibet, vulgata editio, Tridentinæ

Synodi

Synodi ſuffragio probata, ſaluus manet ſenſus, ſubiectus voci *negotiationis*. Optimè quippè *litteratura*, & *numerationes* cadunt in ſcripturas, quarum vſus eſt inter negotiandum. Dati enim & accepti tabulæ, ſiue libri rationum, literis conſtant. Item vniuerſa negotiatio in rationibus ſubducendis & numeris conſcribendis verſatur, vt rectè ad hunc Pſaltis locum notarunt Titelmannus, & Genebrardus, ac Buſæus ad Epiſtolam 17. Bleſenſis. Bellè igitur Spiritus Sanctus per Pſaltem iuxta omnes illas lectiones loci propoſiti, aperit lubricitatem negotiationis, & immania pericula quibus ſalus æterna negotiantium patet: ac proinde eo ipſo ſatis docet, talem occupationem cum ſtatu religioſo non cohærere.

32. Idem traditur Eccleſiaſtici 26. & 27. verbis illis. *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt. Difficilè exuitur negotians à negligentia, & non iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum. Propter inopiam multi deliquerunt, & qui quærit locupletari, auertit oculum ſuum. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium* (venditionis & emptionis) *anguſtiabitur peccatis*. Senſus eſt, binas officiorum ſpecies plenas periculi ad ſalutem conſequendam videri. Nimirum eorum qui ex negotiatione, & eorum qui ex caupona quæſtum faciunt. Negotiator enim vix exuitur à *negligentia*, id eſt à culpa quæ per negligentiam verorum bonorum, & æternæ ſalutis admittitur. Vel certè *negligentiæ* nomine eo loco, ſignatur incuria officiorum pietatis: quia animus negotiorum multitudine obrutus, facillimè negligit functiones pietatis erga Deum. Vnde videmus raros eſſe negotiatores, qui frequentem

ſacramentorum vſurpationem, & ſtudium orationis non negligant. Item multi negotiatores præ immoderata quæſtus cupiditate, fidem datam,& alieni iuris indemnitatē cum pietatis clade negligūt. Ab his aliiſque huiuſmodi negligētiis difficillimè exuitur, qui negotiator ſtrictè appellatur. Caupo autem(qui etiam negotiator eſt, & vina ſua ac cibos & vtenſilium locationem pretio tradit, habet tamen peculiare *cauponis* nomen quo à negotiatore per genericum nomen expreſſo ſecernitur;) laborat peculiariter morbo peccatorum quæ per linguam admittit, vt mendacio ac pariurio. Quæ cùm ſint officiorum ad quæſtum faciendum frequentia admodum genera, benè ſubnectit Sapiens, multos (vtique ex prædictis & negotiatoribus & cauponibus,) propter vitandam inopiam, & rem familiarem augendam, ruiſſe in peccata, & in exitium æternum. Qui enim vult diteſcere, non erit innocens, quia frequenter auertet oculos ſuos ne videat cœlum, & iuſtorum iudiciorum recordetur. Sunt ergo paxillus in lapidum compagine firmiter infixus, ab iis hinc inde arctè conſtringitur, ita vt ægrè refigatur: ita difficilè & operoſe è medio negotiantium (vendentis inquam & ementis,) auelluntur peccata.

33. Conſideratione porrò dignum eſt, Spiritum Sanctum in locis propoſitis non ferire negotiationem, quaſi intrinſecè cum peccatis complicetur, nec poſſit abſque Dei offenſa exerceri: ſed tantùm docere, negotiationem eſſe rem periculis pleniſſimam, & cui magna cum difficultate deſit peccatum. Hinc verò ſuppeditatur potentiſſima ratio, ad perſuadendum negotiationem à religioſo ſtatu abhorrere. Eſto enim vtile, ſit vel etiam neceſſarium, in-

ueniri

ueniri in Republica negotiatores: propter lubricum tamen peccandi, quod negotiationi annectitur, par est, eos qui perfectionem Christianam ex instituto capessunt, & maximè à peccatis auerti profitentur, alia suscipere studia, & aliis exercitationibus parandæ vel augendæ rei familiaris addicere operam, quod est nostrum hoc loco consilium. Nimirum non si opus aliquod per se & natura sua peccato vacat, habet tamen adiunctam magnam ad peccatum procliuitatem; consentaneum est eos qui à peccato elongatissimi esse profitentur, in illud incumbere. Sic enim non abhorreret à Religioso, esse aleatorem, quòd per se loquendo, alea peccato vacet: tametsi tantam ad peccatum illecebrositatem habet annexam, quantam aperit S. Cyprianus, aut alius apud eum author libri De Aleatoribus, ac Ioannes Sarisber, l.1. Polycrat. c.5. & ex variis Comitolus 3. Respons. q.7.

34. Ex nouo Testamento proferri in primis in hâc rem potest, illud Christi oraculum, Lucæ 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Nam quamuis varij eum locum variè exponant, vt latè refert Suares l.1. De voto c.2. à n.18. tamen germana expositio esse videtur ea, quam insinuat S. Basilius in Const. Monast. c.21. traditque Desiderius Caduriensis epist.14. Nimirum eos esse ineptos ad regnum Dei, & indignos, qui perfectionis Christianæ regiam obtineant, qui ita volunt suscepto perfectionis instituto insistere, vt simul velint curam collocare in negotiis secularibus, & huius vitæ studiis implicari, vt faciunt negotiatores. Id enim verè est, manu ad aratrum missa, retrò respicere. Sicut enim arator, si strica pre-

hensa retrorsùm auertatur, non poterit sulcos rectè ducere, sed vel delirabit, vel prorsus arare non poterit, quia aratio maximè attentum, & oculis in opus arandi intentum aratorem deposcit; Ita qui animum adiecit ad perfectionem consequendam, ineptus est ad insistendum ei studio, si simul temporalibus curis se implicet. Fuisse hanc Christi Domini mentem, colligere licet ex adiunctis. Nam Christus protulit sententiam propositam, occasione eius qui ita se obtulit ad eum sequendum, vt simul vellet curam gerere rerum temporalium, & ad studia domestica applicare animum; quod Christus fieri posse inficiatur. Æquè igitur retrò respiciunt, & æquè regno Dei sunt inepti, qui negotiationem, quæ negotiis seculi, & curis temporalibus distendit animum, & oculos auertit ab inito excolendi animi instituto, sociare volunt cum vita religiosa.

35. Addi potest correptio Christi vetantis facere domum Patris sui, domum negotiationis. At, quæ veriùs domus Dei, quàm Religio? Suffragatur huic expositioni Beda homil.7. in Quadrag. Eodem refertur illud Christi, *nemo potest duobus dominis seruire*. Eum quippe locum Synodus Constantinopolitana quæ dicta est prima & secunda, c.11. allegat aduersùs sacros homines secularia tractantes quos idcirco iubet è sacro cœtu exturbari, Æquè S.Paulinus Epist.2. eo loco vtitur ad monstrandum fugienda esse personis sacris secularium negotiorum implicamenta. Benè quoque Petrus Blesensis Tract. de Institut.Episcopi, sic scribit. [Nemo potest duobus Dominis seruire, Deo & mammonæ. Non excidat à te quomodò in tonsura capitis, quando electus es in sortem Domini renunciasti ignominiæ Laicali.

Laicali. In die autem consecrationis tuæ, super abrenunciatione secularium, emisisti vota quæ districxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, vbi ad consecrantis interrogationem, sine exceptione aliqua promisisti, quod de cætero à terrenis negotiis, & à turpibus lucris te alienatos, tuámque sollicitudinem diuinis semper negotiis mancipares.] Dicuntur ista Episcopo, sed æquè aut etiam fortiùs stringunt Religiosum qui mercimonia cum religione nectere cogitat. Denique S. Paulinus epistola 2. eodem modo accipit illud Christi dictum, in quo versamur.

36. Apostol. 2. Timot. 2. æquè confodit ineptam hanc consociationem. Sic enim affatur discipulum amantissimum. *Labora sicut bonus miles Christi IESV. Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Sanctus Cyprianus Epist. 66. paulò aliter, eodem tamen sensu legit, *Nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus.* Hunc locum Gelasius Epist. ad Episcopos Lucaniæ, S. Augustinus serm. 19. De Verb. Dom. Conc. Carthag. 3. cap. 15. & Conc. Forouil. sub Adriano 1. c. 5. intorquent in Clericos negotiatores. Nec minori iure intorqueri potest aduersùs Religiosos negotiatores, cum Religiosi, non minùs militent Deo, quàm Clerici. Religiosos sanè specie militum Dei, pulchrè exhibent S. Basilius ad filium Spirit. Chrysostomus hom. 57. ad pop. Regula Carmelitanorum cap. 12. Delrio parte 3. Marialis lect. 3. Vt ergo liqueat, qua ratione Apostolus feriat Religiosos negotiatores, expendẽdum est quo modo discipulum alloquatur: nempe iubens vt meminerit se esse Christi militem, ac vt militi esse strenuè laborandum, & nauiter in-

cumbendum in victoriam. Porrò nemo ex iis qui se militiæ addixerunt, sollicitus est de negotiationibus & mercimoniis, quibus comparet quæ ad vitam pertinent: nec anxiè attendit quid manducaturus vel bibiturus sit, aut vnde esculenta & poculenta sit paraturus: (id enim Imperatoris est prospicere;) sed tantùm cogitat quomodò ei cui se sacramento militari interposito addixit, στρατολογήσαντι, gratam operam nauet. Similiter igitur iuxta Apostolum, necesse est, militem Dei omnibus mundanis sollicitudinibus abiectis totum versari in ea cura, quomodò placeat Deo, cuius militiæ se adscripsit. Hunc Apostoli sensum ferunt apertè Græca verba τοῦ βίου πραγματείαις, id est *vita* seu *victus negotiis*, atque adeò mercimoniis, quibus quæ ad vitam pertinent, suppeditantur, vt benè attigit Bellarminus l.5. De Rom.Pont.c.10. ad 5. Negat Apostolus militem vllum talibus dare operam, & his fidei spinis horrescere (sic enim S.Hieronymus Epist.ad Eustoch. De custod. virginit. cogitationes de victu nominat.) Quamuis autem Latinus interpres, eam militiam restrinxerit ad militiam quæ sub Deo duce obitur, tamen Græci codices omittunt illud *Deo*, & simpliciter dicunt, *nemo militans*. Sed hoc perinde est. Nam additamentum à Latino interprete appositum eo pertinet, vt intelligatur, mentem Apostoli collimare ad spiritualem militiam quæ exercetur sub summo Imperatore Deo; ac proinde velle, vt quemadmodùm seculi milites Imperatori suo permittunt curam prospiciendi victui ipsorum, sic milites Dei, abiecto negotiandi, & per negotiationem necessaria ad victum parandi fastidio, prorsus à Deo pendeant, procul à se ablegatis prædictis vitæ negotiis

& cu-

& curis huius vitæ, quas noster interpres, vertit *negotia secularia.* Egregiè omnino hanc loci Apostolici interpretationem & ad Religiosos accommodationem prosequitur S.Basilius in procemio Asceticorum. Et æquè eò quadrant, quæ de illo Apostoli loco habet S.Chrysostomus ser. de militia spirituali. Eodem sensu S.Epiphanius hær.59. n.4. ait, ex vsu Ecclesiæ Catholicæ, ζιοῦντα non admitti ad sacros ordines; quia nemo coniugio implicatus, nisi vxori maritus esse desinat, admittitur ad sacros ordines. Vbi *viuere*, idem est quod matrimonio implicitum secularia tractare, & obire negotia familiaria mundanis hominibus, vt vxori ac liberis prospiciant, & rem domesticam augeant. Sic eum Epiphanij locum à Casaubono & Salmasio Sectariis malè detortum ad extraneum sensum rectè restituit Petauius c.5. Miscellan. Exercit. Est igitur negotiatio quippiam dedecens Religiosos, quippe Deo militantes, & Imperatori prouidentissimo autoratos, nec vltra viuentes sed mortuos, ac proinde viuorum sollicitudinibus ac spinositatibus minimè implicandos. [Et nos milites sumus, eò maioris disciplinæ, quò & tanti Imperatoris,] aiebat Tertullianus l.De Exhort. ad Cast. c.12. & latè idem confirmat Chrysosto. serm.22. in ad Ephes. *in Morali.* Id si de omnibus promiscuè Christianis verè ab illis asseritur, quantò magis de Religiosis?

37. Quadrat item in hanc rem, locus Apostoli vetantis Antistitem, & scilicet quemcumque præterea addictum diuinæ militiæ, esse turpis lucri cupidum; ad Titum 1. Quanquam enim turpe lucrum, potest accipi pro lucro iniusto, quale esset si Antistes circumueniret subditos, eosque litibus inuol-

aeret, vt haberet quomodò eos exſugeret, quod Paulo Samoſateno exprobratum eſt à patribus Concilij Antiocheni apud Euſebium l.7. hiſtor.c.26.Tamen propriè, lucrum turpe à lucro iniuſto eſt ſecernendum, vt benè notauit Abul. in c.25. Matth. q.223. & 225. exiſtimans lucrum illud dici iniuſtum, quo læditur ius alienum; V.G. quia res venditur vltra iuſtum pretium: illud verò lucrum dici turpe, quod quamuis non pugnet cum Iuſtitia, quia caret immoderatione, tamen caret honeſtate: non quòd propterea ſit malum in ſe & abſolutè, ita vt reſpectu cuiuſcunque ſit inhoneſtum, ſed quod ex ſe ſit quid indifferens, & vacuum honeſtatis ac laudis. Hæc tamen *turpis lucri* interpretatio non placet, quia tale lucrum, iuxta Abulenſem,non eſt malum, ſed eſt indifferens; quorſum ergo dicitur turpe?Non enim quòd pulchritudine & deformitate æquè caret, dici poteſt deforme ac turpe, præciſè quia non eſt pulchrum. Quare dicendum eſt, idcirco lucrum aliquod denominari *turpe* reſpectu certi cuiuſdam ſtatus, aut certæ perſonæ, quia eſt ei diſſentaneum: etiamſi in alio aliquo à cuius ſtatu non abhorreat, minimè dicatur *turpe*; & ex bono fine captatum, poſſit iuſtum & honeſtum eſſe. Tale ergo eſt reſpectu perſonarum ſacrarum, lucrum quod ex negotiatione paratur; cum negotiatio lucri cauſa initur, vt faciunt vulgares negotiatores. Id quippè lucrum, reſpectu ſacrarum perſonarum, dicitur lucrum turpe, quia quamuis ſupponatur non eſſe lucrum iniuſtum, tamen dedecet nobilem ſtatum Clericorum & Religioſorum; ſicut etiam paſſim (ſaltem in pleriſque oris,) cenſetur dedecere ſtatum nobilium, qua de re inferiùs plura.

38. Se-

38. Secundùm Scripturas, vrgenda ſunt Pontificum & Conciliorum oracula,non modò quibus Religioſos à negotiatione arcent,ſed etiam quibus interdicunt Clericis ea occupatione. Nam vt notauit Diuus Thomas 2.2. q.187. art.2. quoad hoc, eadem vel etiam potior ratio eſt Religioſorum, etiamſi Laicorum, quàm Clericorum, cum omnes eidem ſacræ militiæ ſint adſcripti; & Religioſorum ſcopus multò magis eos auertat à ſtrepitu negotiationis, quàm ſeculares Clericos.

39. Inter Pontifices adducere inprimis poſſumus S.Sylueſtrum,de quo in hunc modum Metaphraſtes. [Curam geſſit boni in Eccleſia ordinis; & cum inueniſſet Clericos mundanis & ſecularibus vacantes adminiſtrationibus, intentoſque mercaturis, emptionibúſque & venditionibus, ille primus legem tulit, vt qui ſacrati erant ab iis abſtinerent, vacarent autem precibus, dictitans id quod dictum fuerat à vaſe electionis, *Nemo militans, implicatur negotiis quæ ad victum pertinent, vt Duci placeat exercitus.* Et quod dixit Dauid, *Vacate & cognoſcite.*] Gelaſius 1. Epiſt.9. quæ eſt ad Epiſcopos Lucaniæ c.17. Deſcriptus in Concilio Aquiſgran. ſub Ludo. c.93.&c. *conſequens* diſt.88. ſic dixit [Ad nos miſſa relatio, nuntiauit plurimos Clericorum negotiationibus inhoneſtis & lucris turpibus imminere, nullo pudore cernentes Euangelicam lectionem, qua ipſe Dominus negotiatores è templo verberatos flagellis aſſeritur expuliſſe, nec Apoſtoli verba recolentes, quibus ait *Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus.* Pſalmiſtam quoque Dauid ſurda diſſimulantes aure, cantantem: *quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini:* Proinde hu-

iuſmodi, aut ab indignis poſt hæc quæſtibus nouerint abſtinendum, & ab omni cuiuſlibet negotiationis ingenio vel cupiditate ceſſandum:aut in quocunque gradu ſint poſiti, mox à Clericalibus officiis abſtinere cogantur: quoniam Domus Dei, domus orationis & eſſe debet, & dici, ne officina negotiationis, & ſpelunca potiùs ſit latronum.] Quas Gelaſius *inhoneſtas negotiationes*, & *turpia lucra*, ac *indignos quæſtus* nominat, perperam quis de negotiationibus ex obiecto ſuo illicitis accipiat: has quippè negotiationes non eſſet neceſſe verbis Pſaltis & Apoſtoli, & allato facto Chriſti negotiatores expellentis coarguere, quandoquidem ex obiecto ſordent. Id ipſum ergo intelligit Gelaſius per inhoneſtas negotiationes & quæſtus indignos, quod Apoſtolus per turpe lucrum, cùm negat Epiſcopum debere eſſe turpis lucri cupidum; id eſt quod paretur ex opere Epiſcopum dedecente: cuiuſmodi ſanè eſt negotiatio reſpectu Clericorum & Religioſorum, de mente Gelaſij. Ex Pontificibus, ſatis. Pergo ad Concilia.

40. Concilium Chalcedonenſe c. 3. interdicit Clericis & Monachis, ne ſe negotiis ſecularibus immiſceant; quod ad mercaturam & negotiationem pertinere, notat Gloſſa ad diſtinct. 88. *initio*.

Appendix ad Concilium Oecumenicum Lateranenſe 3. ſub Alexandro III. celebratum parte 27. c. 3. ex reſcripto eiuſdem Alexandri III. ad Londonienſem Antiſtitem, ſic habet. [Secundùm inſtituta Prædeceſſorum noſtrorum, ſub interminatione Anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici cauſa lucri negotientur. Et ne Monachi à Clericis vel à Laicis firmas habeant.] Id eſt, ne ſub annuo

cenſu

censu prædia rusticana, vel fodinas, aut salinas, aliquídve similiter frugiferum conducant. Ea quippè redemptiõ rei frugiferæ Gallis hodiéque *firma* dicitur. Vnde *fermier* pro mancipe vel redemtore. Meminit Religiosorum redemtorum Theodorus Studita Catech.9. vt videas, Concilium non verberasse aërem, cùm redemtores Monachos esse vetuit.

Concilium Coloniense tertium, celebratum sub Hermanno postea lapso p.2. c.31. [*Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat cui se probauit.* Quare multa prouidentia olim vetitum est, ne Clerici vel Monachi, mercatores, (taceamus fœneratores) sint lucri causa.] Respicit decretum Lateranense, proximè adductum.

Concilium Treuerense anno 1549. sub Ioanne Archiepiscopo, tit. De Religiosis *sub finem* [Statuimus, imò antiquorum Patrum Canones renouando mandamus, quod nullus Monachorum, pro lucro terreno de monasterio suo exire, nefandissimo ausu, aut secularibus negotiis sese immiscere præsumat. Itaque Religiosos à curtibus Monasteriorum suorum, ad Monasteria reuocari, & Curtes per fideles Laicos seu præbendarios administrari, iubemus.]

41. Suffragantur SS. Patres, quorum paucos appendere operæpretium videtur. S. Dionysius c.6. Eules, Hierar.ait multa quæ secularibus permittuntur, vetari Religiosis seu Monachis, quæ iuxta Georgium Pachimerem in Paraphrasi sunt γάμος καὶ τὸ στρατεύειν, καὶ ἐμπορείαις ὁμιλεῖν : καὶ ἑτέροις ἐν οἷς ὁ λαικὸς οὐ καταγινώσκεται. *Nuptiæ, in bello aut negotiatione versari, & in aliis esse, ob quæ Laicus non condemnatur.*

Hilarius Diaconus Autor qq. Veteris ac Noui

Testam. c.127. *sub finem.* [Quis nesciat vnumquodque suam legem habere? Est enim quod omnino generaliter omnibus non liceat: est item quod aliis licet; & aliis non licet: & est quod aliquando licet, & aliquando non licet: fornicari omnibus non licet: negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet: Antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam, non licet.]

S.Ambrosius 2.offic.c.21. *in fine* informans Sacerdotem, id est Antistitem, admonet eum, [Impensas misericordiæ conuenientes frequentare, quantum oporteat, largiri peregrinis non superflua, sed competentia: non redundantia sed congrua humanitati; ne sumptu pauperum alienam quærat sibi gratiam, nec restrictiorem erga Clericos, aut indulgentiorem se præbeat. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum: si aut sumptus desit necessitati eorum quos à sordidis negotiationis aucupiis retrahere debeas, aut voluptati superfluat.] Vult Antistitem parcè in externos effundere bona ecclesiastica: ne Clerici, quorum prima illi habenda fuerat cura, in sordida negotiationis aucupia, à quibus retrahendi per Antistitem essent, adjicere animum adigantur. Idem l.3. De Virgin. ad illud *Per vicos & Plateas quæram,* multa habet in nequitias fori rerum venalium & negotiationis; quo ipso id genus occupationis, a Clericis & personis quibusvis sacris longè ablegat.

42. S.Chrysostomus hom.20. ex variis in Matth. sic loquitur de negotiatoribus [Iustorum operationi laborum ex emptione & venditione iniquitatem immiscent, & iuramenta frequenter, & periuria simul, atque mendacia Auaritiæ conjungunt: sola cu-

rant

rant ſecularia, & terræ permanent affixi, & modò lucrentur, omnia faciunt: vt autem pauperibus communicent, nullam gerunt curam, ſua ſemper volentes augere. Quis referat ſuper his conuitia, contumelias, fœnora, vſuras, contractus multæ falſitatis plenos, turpia commercia?] Vide an huiuſmodi opus Clerico aut Religioſo concederet S. Chryſoſtomus. Autor imperfecti operis in Matth. hom.38. [*Christus de templo eiecit negotiatores*, ſignificans, quia homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere; & ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator: aut ſi voluerit eſſe, projiciatur de Eccleſia Dei, dicente Propheta, *Quia non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini.* Quemadmodùm enim qui ambulat inter duos inimicos, ambobus placere volens & ſe condemnare, ſine maliloquio non poteſt eſſe: (neceſſe eſt enim vt & iſti malè loquatur de illo, & iſti malè loquatur de iſto:) ſic qui emit & vendit, ſine mendacio & periurio eſſe non poteſt. Neceſſe eſt enim vt negotiatoribus hic iuret, quia non tantum valet res quantum comparat eam; & ille iuret quia plus valet res quàm vendit. Sed nec eſt ſtabilis ſubſtantia eorum. Talium enim ſubſtantia, aut ipſis viuentibus peritura eſt, aut à malis hæredibus diſſipanda eſt, aut ad extraneos & inimicos hæreditas eorum ventura eſt. Non poteſt ad bonum proficere, quod congregatur de malo. Quemadmodùm ſi triticum, aut aliquam bladi ſpeciem cernas in cribro, dum huc illúcque iactas eam, grana omnia paulatim deorſum cadunt, & in fine in cribro nihil remanet, niſi ſtercus ſolum. Sic & ſubſtantia negotiatorum, dum vadunt & veniunt inter emptionem & venditionem, minui-

tur, & in nouissimo nihil illis remanet, nisi solum peccatum.]

S.Epiphanius hær. vltima, describens mores Ecclesiæ Catholicæ, sic habet de Negotiatoribus. [Negotiatores (Ecclesia) non recipit, sed inferiores omnibus ducit. Non est sensus, Ecclesiam interdicere omnibus Christianis negotiatione, sed quod eam tantùm concedat contemptibilibus qui sunt in ea, vt Apostolus de Iudicibus dixit. Cùm ergo Ecclesiastici teneant in Ecclesia primum locum, liquet ex mente S.Epiphanij, eos à negotiatione arceri.

43. S.Hieronymus Epist. ad Nepotianum, Clericum negotiatorem tanquam pestem quandam fugiendum decernit. Idem Epist. ad Rusticum de Monachi instit. [Vidi ego quosdam, qui postquàm renunciauere sæculo, vestimentis duntaxat, & vocis professione non rebus, nihil de pristina conuersatione mutarunt: res familiaris magis aucta, quàm imminuta.] Et mox [Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatísque nominibus institutorum, eadem exercent commercia, non victum & vestitum, quod Apostolus præcipit, sed maiora quàm seculi homines emolumenta sectantes. Et prius quidem ab ædilibus, quos ἀγορανόμους Græci appellant, vendentium coërcebatur rabies, nec erat impune peccatum. Nunc autem sub religionis titulo exercentur iniusta compendia: & honor nominis Christiani fraudem magis facit, quàm patitur: quodque pudet dicere, (sed necesse est, vt saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus,) publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus.]

S.Augu-

S. Augustinus in Psal. 70. ad illud, *quoniam non cognoui negotiationes.* [Ideò (inquit) tota die laudem tuam, quoniam non cognoui negotiationes. Quæ sunt istæ negotiationes? Audiant negotiatores & ducant vitam, & si fuerunt non sint, non cognoscant quod fuerunt, obliuiscantur: postremò non approbent, non laudent, improbent, damnent, mutentur, si peccatum est negotiatio. Hinc enim auiditate nescio qua acquirendi, ô negotiator, quando damnum passus fueris, blasphemas, & non erit in te quod dictum est, *tota die laudem tuam.* Quando autem pro pretiis rerum quas vendis, non solùm mentiris, verùm etiam falsum iuras, quomodò in ore tuo tota die laus Dei? vel quando, si Christianus es, etiam ex ore tuo blasphematur nomen Dei, vt dicatur, Ecce quales sunt Christiani? Ergo si propterea iste tota die Dei laudem dicit, quia non cognouit negotiationes, corrigant se Christiani, non negotientur.] Quamuis autem postea S. Augustinus approbat iudicium eius qui opponit hæc esse vitia negotiatoris non negotiationis, ideóque non negat Christianum secularem posse licitè dare operam negotiationi, tamen ex tanta multipliciter peccandi facilitate, quæ indiuidua comes est negotiationis, perspicuum est, quàm S. Augustinus auersus esset à negotiatione Clericis & Religiosis concedenda. Qua ratione huc quoque trahi potest Saluianus sub finem libri tertij de Prouid. cùm ait, [Quid aliud est cunctorum negotiantium vita, quàm fraus atque periurium?]

44. S. Gregorius Religiosorum, & quarumuis sacrarum personarum effusionem ad seculi negotia, (atque adeò maximè ad negotiationem, quia maxi-

mè diffundit & diſſipat animum) tragicis modis deplorat, aduocatis etiam in eam rem Hieremiæ lachrymis. Et imitatus Apoſtolum, transfigurans in ſe hæc omnia, vt informis aptiùs mederetur, ait; [Dei cauſam relinquimus ad terrena negotia vacamus, locum ſanctitatis accepimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum eſt in nobis profectò quod ſcriptum eſt; *& erit ſicut populus, ſic Sacerdos.* Sacerdos enim non diſtat à populo, quando nullo merito vitæ ſuæ, vulgi tranſcendit actionem. Imploremus Hieremiæ lachrymas, conſideret mortem noſtram & deplorans dicat; *Quomodò obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum?* Aurum quippe obſcuratum eſt: quia Sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum clara, nunc per actiones infimas oſtenditur reproba. Color optimus eſt mutatus: Quia ille ſanctitatis habitus, per terrena & abiecta opera ad ignominiam deſpectionis venit. Lapides verò Sanctuarij intrinſecùs habebantur, nec ſumebantur in ſummi Sacerdotis corpore, niſi cum ſancta ſanctorum ingrediens in ſecreto ſui conditoris apparebat. Nos ergo fratres chariſſimi, nos ſumus lapides Sanctuarij, qui apparere ſemper debemus in ſecreto Dei, quos nunquam neceſſe eſt foris conſpici, id eſt nunquam in extraneis operibus videri. Sed diſperſi ſunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum: quia hi qui per vitam religioſam, & orationem ſemper intus eſſe debuerant, per vitam reprobam foris vacant: Ecce iam penè nulla eſt ſeculi actio, quam non Sacerdotes adminiſtrent, dum ergo in ſancto habitu conſtituti, exteriora ſunt quæ exhibent, quaſi Sanctuarij lapides foris iacent;

quia

quia enim Græca voce, *Platea*, à latitudine vocatur; Sanctuarij lapides in Plateis sunt, cum Religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Non solùm in Plateis, sed & in capite Platearum dispersi sunt, quia & per desiderium huius mundi opera peragũt, & tamen de Religioso habitu culmen honoris quærunt: In capite ergo Platearum dispersi sunt, quia & iacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine Sanctitatis.] Sic S.Pontifex hom. 17.in Euang. Et expressit dum locum Philippus Abbas l.de dignit. Clerico.c.14.aduocans ipse quoque, Ieremiæ luctum ad deplorandam dispersionem Religiosorum in latitudinem secularium actionum, siue negotiationum.

45. Petrus Blesensis Epist.17. in Clericum negotiatorem validissimè conclamat: Adscribo partem. [Si tuæ professionis ordinem, & gratiam diuinæ vocationis attenderes, te potiùs lectione, quàm negotiatione, artibus quàm mercibus occupares. Periculosum siquidem est in Laico, sed perniciosum in Clerico, negotiationibus augere peculium, atque rerum ambitiosa venalitate seipsum Diabolo venalem exponere; Clericus qui leuiore comparat pretio, vt vendat cariùs, filius est auaritiæ, idololatra pecuniæ, seruus mammonæ, & venundatus sub peccato. Cùm enim species vsuræ sit, minus proximo dare, & plus ab eo accipere, non video Clericum ab vsurarum crimine & à nomine criminoso immunem, qui sibi cum alieno dispendio lucrum quærit. Sanè fœnerator, dum proximum manifestè spoliat, fure deterior est & prædone, dans pro frumento vinum, & pro vino equum. Et sic sub colore permutationis, aut dilationis obtentu, recipis incremen-

tum in bursa, detrimentum in anima, longè deterior Iudæis, dum illi tantùm alieno, tu verò alieno & proximo fœneraris. Congregabis diuitias, & in nouissimo non gaudebis, & eueniet tibi quod Dominus per Hieremiam figuraliter dicit: *Perdix fouit quæ non peperit; fecit diuitias, & non in iudicio, in medio dierum derelinquent eum, & in nouissimis suis reperietur insipiens.* Fœnerator enim tristissimos habebit huius vitæ exitus, cuius finis interitus, cuius mors detestabilis, cuius damnatio sine fine. Porrò negotiationis crimen attenuas, & ad excusandas excusationes in peccatis proponis tui laboris & prouidentiæ fructum esse, quod plus recipis, qui rem dum vilius vendebatur, emisti: Dicis, omnino non esse absurdum, si laborem in quæstum, si in lucrum, periculum conuertisti. Quicquid proponas, vnum denuncio tibi, quia negotiationem in tuæ salutis periculum conuertisti. Negotiatorem Clericum sacri Canones execrantur. Cùm enim beatus sit homo, qui miseretur & commodat, & qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, cum possumus iudicare ab æterna beatitudine alienum, qui quod accipit sicut accepit, non præstat, qui iuxta sacræ Scripturæ consilium dati & accepti gratiam, non porrò tibi adscribis ad gloriam, quod ad cumulum tuæ damnationis accedit, quia in negotiationibus publicè iactitas te circumspectum, qui vtinam damnabile tibi non nouisses officium. Propheta dicit, *Quia non cognoui negotiationem, introibo in potentias Domini.* Sciebat in negotiatione quantum esset periculum. Nam & Iob qui in potentias Domini certum expectabat introitum, dicebat; *Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt: Difficilè eruitur negotians*

gotians à negligentia Dei, & caupo non iustificabitur à pèccato labij. μνηκονηκὸν ἁμάρτημα Blesensi obrepsit, alleganti Iobum pro Siracide. Apud istum quippe habetur is locus c.26.Eccles. sed facilè deprecabitur Blesensis, lapsum, quem S.Augustinus & alij quidam, non verentur S.Matthæo adscribere, vnum Prophetam ab eo allegatum pro alio concedentes.

46. Petrus Cluniacensis l.1. Epist.20. ad Giselbartum, describens religiosum irreligiosum, improbat in eo præter cætera negotiationem. [De cura Pauperum (inquit) ad culmina transfertur ædificiorum. Inde subiecta omnia curiosè perlustrat: fundamenta iacit, perpendiculum extendit, structuræ suæ longitudinem, altitudinem & latitudinem studiosus Geometer dimetitur: Ecclesias ædificat, vrbes mœnibus ambit, flumina pontibus obnubit, & se solum destruens, vniuersa construit. Ita solitudinis professor in medio seculi conuersatur, cellula clausus inter frequentias populorum discurrit: nundinas & angiportus sollicitus mercator oberrat, fit ei requies tormentum, sessio labor, silentium pœna, clausura infernus. Sic fit cæcatus lumine mentis, clausúsque tenebroso carcere, rursus ad molam inquietudinis redit: vtque Samson Allophilis, fit quondam fortis dæmonibus Eremita ludibrium.]

Theodorus Studita serm.9. Catech. negotiationes Religiosorum, emptiones seruorum, venditiones ac redemptiones, & agitatum per eos cauponarium quæstum, grauissimè exagitat. Et serm.13.in eandem abusionem, tanquam certum apostasiæ adiunctum, grauissimè conclamat.

Ex his Patrum testimoniis, præter innumera quę

corrogare aliunde liceret, si res ferret, quis non videt, quàm illi indecoram, imò perniciosam Religiosis, & sacris quibusuis personis negotiationem duxerint? Omnia sanè seculi negotia ab eis recisa volunt. Esse autem negotiationem, negotium seculi, & pertinens ad curas huius vitæ grauantes corda, nemo negare possit. Monstrant præterea quantam ad peccata procliuitatem inuehat negotiatio; ac proinde eo ipso contestantur, negotiationem esse Religiosis auersandam, cum idcirco valedixerint seculo, vt à peccati illicibus & occasionibus longiùs remouerentur.

47. Veniendum consequenter est ad rationes, quarum quæ fortissima videtur, inde ducenda est, quod sacræ personæ & maximè Religiosi, vi sui status obstringantur ad conuersationem cum Deo, & cultum ei studiosè ac perfectè deferendum. Quæ vitæ ratio, vix ac ne vix quidem cohærere potest cum negotiatione, qua miser animus in partes infinitas distrahitur, & mergitur in desideriorum inutilium & curarum profundum. Idcirco enim vt rectè notauit Sotus l.6. De Iust. q.2. art.2. negotiatio, generale nomen sibi fecit proprium, dictáque est à negatione otij omnibus artibus communi, quia antonomasticè & eminenti quodam modo otium negat; vsque eò, vt ni caueatur, suffocet & opprimat animum. Qua animi oppressione, nihil Religioso calamitosius potest accidere, cùm inde præcludatur conuersatio cum Deo, qui est præcipuus scopus instituti Religiosi, & secessionis à strepitu seculi, & vitæ communis. Proptereáque S.Basilius in Psal.45. obseruat dictum esse à Deo per Psaltem, *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* [Quatenus enim

enim iis rebus vacamus quæ alienæ ſunt à Deo, Dei notitiam recipere nequaquam valemus. Quis enim eorum quæ mundi ſunt ſollicitus, ſeque immergens multimodæ diſtractioni carnis, attendere poſſit verbis Dei, ſatiſve facere tot tantarúmque contemplationum exactæ comprehenſioni? Nónne vides quod in ſpinas delapſum verbum, à ſpinis ſuffocatur? Spinæ namque carnis voluptates & diuitiæ, & curæ ſunt huius ſeculi. Extra hæc omnia conſtitutum eſſe opus ſit eum qui cognitionem Dei deſiderat, debétque ab omnibus perturbationibus, atque affectibus vitioſis vacare, ſic demum Dei ſcientiam apprehendere. Quo modo enim animam tot adeò quæ ipſam præoccuparint diſtractionibus cogitationum oppreſſam, Dei cognitio, cogitatióque penetrabit?] Benè ſpinis ſuffocantibus ſementem Patrisfamilias negotiationem compoſuit S.Baſilius. Pia verò anima, ſupra has negotiorum ac ſollicitudinum ſpinas, ſicut lilium quod non laborat neque net, exurgit candens & ſpecioſa coram Deo: Comparatio eſt Theotini apud Damaſcenum l.3. Parall. c.74. Alia egregia comparatione, effectum illum ſuffocati per ſecularia negotia ſpiritus, expreſſit Petrus Damiani l.6.Epiſt.5. quæ eſt ad Cluniacenſes, monſtrans Religioſum per tractationem negotiorum ſecularium, exoculari quoad ea quæ Dei ſunt, ita vt impleatur in eo quod truculentus Ammonitarum Princeps Naas, popoſcit ab habitatoribus Iabes Galaad; nempe vt dextrum eis oculum erueret. Neque enim vtrumque oculum impius hoſtis, ſed alterum duntaxat voluit eruere, quia Satan contentus internam ſanctitatem effodiſſe, externam homini permittit: nec obſtat quo minus benè oculatus ſit circa terre-

na, quem erga diuina lumine orbat. Alterius inquam oculi effossione contentus est, quia externam Sanctitatem, laruam & imaginem Religiosæ virtutis saluam esse homini finit, dummodò per negotiorum secularium sudes eruat dextrum oculum, siue internam sanctitatem & religionem, quæ illi potior, & longè charior esse debuerat. Libro item 2. Episto.5. in huius veritatis adumbrationem, obseruat idem Autor, Sedechiam exoculatum esse in *Reblatha*, quod Latinè sonat, *multa hæc*. Agnoscat ergo Religiosus negotiosus, vbi sit internis luminibus priuatus. Huiusmodi Religiosos negotiosos, & secularibus curis implicitos, sicque ad diuina cæcos idem Petrus Damiani lib.5. Epist.8. scitè vocat *Vrbicos Eremitas, forenses solitarios, Monachos vniuersales.*

48. Igitur cùm negotiatio indissociabiliter nexa sit cum effusione ad externa, & animi distractione à primario Religiosi negotio, quod est intendere Deo, manifestum esse debet, negotiationem inconciliabiliter à statu religioso dissidere. Idque significasse Iobum c.39. verbis illis, *Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem?* Benè tradit S.Gregorius l.30. Moral.c.23. qui onagri libertatem, & commorationem in solitudine, interpretatur quietem Religiosi à negotiis secularibus: concinitque Olympiodorus Monachus in catena Comitoli, eodem aptans quod mox additur de Onagro, eum non audire clamorem exactoris; quod dictum putat de negotiatoribus quibus pendenda sunt vectigalia, & subiacendum clamoribus Publicanorum. Hoc autem est grande impedimentum quietis, qua adeundus est Deus ab iis qui consectantur Euangelicam perfectionem,

ctionem, vt propterea S.Gregorius homil.38. in Euang. obseruet, vnum ex obicibus nuptiarum Christi, esse, ire ad negotiationes suas. Abhorret igitur à religioso statu negotiatio, quia (vt dixi,) per solam communem gratiam negotiator non potest declinare distractionem animi cum spiritu Religioso incompossibilem. Dico, *per solam communem gratiam*, quia inuentus quandoque est in decursu multorum seculorum, vnus aut alter negotiator Deo vnitissimus. Vt is cum quo Paphnutius per reuelationem compositus est apud Palladium c.58.laus. Sed hæc rara auis fuit, quæ cum sit vna, non facit ver. Auxiliis quippè extraordinariis, quæ rarissimè conceduntur, ad tantam cũ Deo vnionem qua Paphnutium sanctissimum Monachum æquaret, subuectus est ille negotiator. Quod si quis ex ea negotiatoris cum Paphnutio comparatione velit colligere, bellè negotiationi & religioso statui conuenire; fatendum quoque & colligendum eidem erit, functiones à Religiosis admodùm extraneas, rectè iisdem congruere. Ibidem quippè Palladius, memorat diuinitùs esse reuelatum, cuiusdam Oppidi Protocomitem cum Paphnutio esse conferendum. Id quod æquè de Coriario Alexandrino collato cũ S.Antonio, & de Cornelio Mimo, collato cum S. Theodulo refert Raderus in Virid.3.Decemb.Nemo tamen Protocomitis, aut Coriaris, vel Mimi negotium, Religioso statui velit appingere. Sed nimirum, etiamsi quandoque pij terrena & Babylonica tractant, vt D.Augustinus in Psal.51. *initio* fusè persequitur: tamen quod vni cuipiam ex singulari priuilegio interdum conceditur, non est ad omnes promiscuè extendendum. Ac proinde si rarissimi

quidam per extraordinaria auxilia ad vim cœlestis gratiæ demonstrandam, coniunxere cum negotiatione collectionem animi, & vnionem cum Deo, inferendum non est idem quibusvis negotiationem exercentibus contingere, etiamsi religiosa professione se efferant.

49. Resumo illustrationem argumenti aduersùs Religiosorum negotiationes petitam ex sancti otij & tranquillitatis animi exterminatione per mercimonia & negotiationes. Nilus, vt ex eo habetur in Catena ad c.1. Iobi, statuens Iobum vt exemplar hominis qui seculo nuncium remisit; Iobum rursus confert cum Athleta. Nam etiam idcirco nudatum Iobum in fimeto stetisse obseruat, vt Athletas exprimeret qui nudantur ad colluctationem. Siquidem qui nudus est, vix, ac ne vix quidem, comprehendi potest. Ideóque Iosephus pallio nudatus aufugit, & deuicit in certamine castitatis. Et Adam quamdiu generosum Athletam egit, nudus fuit; Ex quo autem ab Aduersariis ad diuinæ legis violationem adducere laborantibus, superatus est, atque à certamine repulsus, meritò indutus est, nuditate cum certandi virtute, reiecta. Hæc præfatus Nilus, subdit. [Nudum vel potiùs vnctum, certamen inire oportet. Nam nudatum esse hoc certanti præstat, vt ab aduersario comprehendi non possit; oleum verò vt si fortè comprehensus fuerit aliquando, è manibus facilè elabatur. Quamobrem qui luctantur, luctantes aduersarios puluere perspergere nituntur, vt olei læuitate à pulueris asperitate superata, eosdem comprehendere faciliùs possint. Quod igitur illhic est puluis, hoc item in nostro certamine res sunt terrenæ; & quod illhic est oleum, hoc est in

noſtra lucta, anxiarum curarum varietas. Et ſicut illhic, qui eſt delibutus, vincla, & qui ab iis vocantur nexus, perfacilè diſſoluit; quod ſi puluerem admiſerit, aduerſarij manus niſi ægrè euadere non poſſit: ſic in noſtra contentione qui eſt animo à curis vacuo, is haud facilè à Diabolo captatur. Qui verò curis & ſollicitudinibus angitur, mentis ſuauitate & tranquillitate, quaſi olei læuitate ob pulueris aſperitatem amiſſa, ægrè Diaboli vitat manus: Iobus autem qui rebus humanis nuncium remiſerat, ipſam etiam veſtem conſcindit.] Non ponit tantùm & abjicit ad tempus, ſed ne deinceps vſui eſſe poſſet, conſcindit, vt faciebant; teſte in Iobum Origene, qui pretioſas veſtes quibus obuoluta ſuorum cadauera inferebant ſepulchro, conſcindebant vt inutiles redditæ, minùs paterent furum cupiditati. Liquet igitur quanto diſcrimini, Religioſum in arena certantem, exponat puluis curarum, negotiationi inſeparabiliter adiunctarum; exterminans & exſugens oleum gratiæ, quibus myſticus Athleta, aduerſùs concertatores, eſt delibutus diuinitùs.

Alia ſimilitudine idipſum illuſtrat Philippus Abbas l. de Obed. Clerico. c. 4. monſtrans, Clauſtralem luteis mundanorum & ſecularium operum ſtudiis implicitum, ſicut auem auolare, vt dicitur Oſee 9. Et multa quidem ſuſcipere ac agitare animo, & præ quietis impatientia exequi; Apud Deum tamen cauſa cadere, & Satanæ ſubjici, quia abit poſt ſordes; nec cellam vinariam, ſed nidum luteum ſibi fabricat operationibus illis lutoſis, cum clauſtri nitore ac quiete non cohærentibus, in quam rem fusè omnino ac pulchrè diſſerit idem Philippus. Et videns

dus quoque eius æqualis Petrus Cluniac. l. 1. Epist. 20. vbi agens cum Giſelberto, dolet, pleriſque in ſpeciem mundo mortuis, quod debuerat eſſe quietiſſimum otium, fieri turbulentiſſimum negotium, cerniq; mundum in ſolitudine, ac Religioſo iam mercatori, requiem fieri tormentum, ſeſſionem laborem, ſilentium pœnam, clauſuram infernum, nec aliter cęcatum & lumine Orbum Samſonem ad molam inquietudinis & mundi vertiginis reuenire.

50. Volo argumenti hactenus propoſiti robur, ex proportionali materia demonſtrare. Eccleſia enim ob hanc ipſam cauſam ſeruandæ illibatæ vnitatis ſpiritus Religioſarum perſonarum, vetuit eas addici tutelis. Quod S.Cyprianus Epiſt.66. conuenientiſſimè factum docet, prolata hac ipſa ratione, æquè contra munus negotiatoris, ac contra munus Tutoris vrgente, vt proinde iuuet, potentiſſimam S.Cypriani diſputationem adſcribere, mutatis nonnullis vocibus, æquè in hac materia, ac in tutela negotio valituram. [Grauiter (inquit S.Cyprianus,) commoti ſumus ego & collegæ mei, qui præſentes aderant, & compreſbyteri noſtri, qui nobis aſſidebant, fratres chariſſimi, cùm cognouiſſemus quod Geminius Victor, frater noſter de ſeculo excedens, Geminium Fauſtinum Preſbyterum tutorem teſtamento ſuo nominauerit, cùm iampridem in conſilio Epiſcoporum ſtatutum ſit, ne quis de Clericis & Dei miniſtris, tutorem & curatorem teſtamento ſuo conſtituat, quando ſinguli diuino ſacerdotio honorati, & in clerico miniſterio conſtituti, non niſi altari & ſacrificiis deſeruire, & precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum eſt enim, *Nemo militans Deo, obligat ſe moleſtiis ſecularibus, vt poſ-*

ſit

sit placere ei cui se probauit. Quod cùm de omnibus dictum sit; quantò magis molestiis, & laqueis secularibus obligari non debent, qui diuinis rebus & spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, & ad terrenos & seculares actus vacare non possunt? Cuius ordinationis & Religionis formam Leuitę priùs in Lege tenuerunt, vt cùm terram diuiderent, & possessiones partirentur vndecim tribus, Leuitica tribus, quæ templó & altari, & ministeriis diuinis vacabat, nihil de illa diuisionis portione perciperet; sed aliis terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, & ad victum atque alimentum suum ab vndecim tribubus de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de authoritate, & dispositione diuina; vt qui operationibus diuinis insistebant, in nulla re auocarentur, nec cogitare nec agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur, vt qui in Ecclesia Domini, ordinatione Clerica promouentur, in nullo ab administratione diuina auocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tanquam Decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus & spiritalibus seruiant. Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, & salubriter prouidentes, censuerunt, ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret; ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim apúd altare Dei mereţur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros voluit auocare.]

51. Quare vt hanc primam aduersùs Religioso-

rum negotiationes rationem obſignemus, qui ita mundo valedixit, vt ſimul per negotiationem ad illud regrediatur, alloquendus eſt iiſdem verbis quibus Iſid. Peluſ. l.9. Epiſt. 25. Cyrillum quendam pſeudomonachum affatus eſt. [Quid tibi vtilitatis affert Ioannis in locũ deſertum ſeceſſio, quam olim ſtudioſè imitatus es, cum nunc eum minimè imiteris; verùm ad priuatas curas te referas, atque in ſolitudine tumultueris, & ab hominum cœtu remotus perturberis? Etenim externo habitu ac ſpecie quieſcere, mentis autem mutationibus & perturbationibus inquinari, tum ſenſum caligine perfundit, tum ſuſceptos iam labores extinguit, atque perturbationibus animi pronam ac facilem victoriam reddit, efficitque vt miles abiecto ſcuto fugiat. Porrò nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus, vt ei placeat, à quo in militiam aſcitus eſt: Verùm arma omni ex parte geſtat: ad id certamen, quod tribuno militari placuerit, ſe comparans.]

52. Ratio alia qua Religioſorum negotiationes conuelluntur, ex eo ducitur, quòd auaritia ſummoperè dedeceat Religioſos, qui paupertatem profitentur. Atqui negotiatio acuit Auaritiæ famem,& incendit fortiùs eam flammam miſerè depaſcentem auari pectus. Eſt igitur à Religioſis aliena negotiatio. Quod dico,auaritiam dedecere perſonas ſacras, maximè religioſas, eſt principium per ſe notum, ſi perſpecta habeatur notio ſtatus Eccleſiaſticorum, nominatimque Religioſorum. Sanè Iſido. Peluſ.l.9. Epiſt.27.Phariſmauium aulicum in Scripturis euoluendis aſſiduum, demiratur quod auaritiæ ſtudere diceretur: quod abſurdiſſimum putet, eum qui in ſacris libris aſſiduus eſſet, inhiare caducis opibus,

quarum

quarum effuſio & abiectio, paſſim in Scripturis celebratur. At quantò abſurdius eſt, quamque manifeſtiùs præpoſterum, vt qui profeſſi ſunt nuditatem externorum bonorum, congregent circum ſe denſum lutum? Egregiè in abſurdam hanc monſtroſitatem, auaritiæ ſeruorum Chriſti, ſub duce paupere & paupertatis labaro militantium, Hildebertus Epiſt. 47. ſic concludens poſt plurima. [Quanta ergo ſit peſtis cupiditas, quæ virtutis abiuratio, quam præceps ad infernum deſcenſus; nec etiam tardiores credimus ignorare. Turpe nimis, Chriſtum Dei hoc inquinari atramento quo prophetia ingenerationem degenerat, exinaneſcit interior ſpiritus vnctio, myſticus legis obſcuratur intellectus, aufertur Euangelicæ ſapor doctrinæ, & qui ſe iactitant regnum Chriſti, regnum fiunt Antichriſti. Turpe inquam nimis, animam Domino ſimilem, huic Idolo ſubſterni, curuare genua ante Baal: his hominem amittere maleficiis, quibus etiam ſapientum oculi faſcinantur, vt non videant cœlum, neque recordentur iudiciorum iuſtorum.]

Itaque quod auaritia, (vt aſſumebam,) perſonas ſacras dedeceat, extra dubium ponitur. Iam quod negotiatio, (vt addebam,) auaritiam acuat, & eius acrimoniam efficiat in dies vegetiorem, rectè attigit Soto l. 6. De Iuſtitia, quæſt. 2. art. 2. ſignificatúmque eſt ab Anacharſide, qui apud Laërtium aiebat, forum mercatui & negotiationi ſeruiens, eſſe locum mendaciorum & auaritiæ. Optimè verò ſuffragatur experientia & ratio. Ea quippè eſt omnis quidem prauæ cupiditatis, vt diſſerit S. Chryſoſtomus homil. 43. ad pop. ſed nominatim auaritiæ natura, iuxta Caſſianum lib. 7. cap. item 7. vt cum pabuli incre-

mento, auctior fiat appetentia eius & fames : Et vt idem addit c.10. hæc flamma quò plura absumit, eò euadit inexplebilior, quod Iudæ proditoris exemplo confirmat ibidem Cassianus c.14. Proptereáque constans Patrum doctrina fert, longè faciliùs esse, prorsus abjicere à se augendæ rei cupiditatem, omnibus sibi interdicendo, quàm illam temperare, dando operam vt res domestica mediocriter augescat. Igitur quàm turpe est, & ab eius statu dissentaneum, personam sacram auaritiæ morbo laborare; tam turpè & ab eius statu dissentaneum est, negotiari : Præsertim cùm cupiditas, cuius ignitabulum est negotiatio, radix sit omnium malorum. Omnia enim mala in negotiationem concurrunt, ita vt vacauerit Maiori in 4. d.40. concl. 4. vagari per omnia prædicamenta, & monstrare, peccata negotiantium diffundi per omnes categorias. Radix ergo malorum adeò ramosa, maximè abhorret à personis virtutum studia, & malorum verorum declinationem professis, quales sunt Religiosi.

53. Ad extremum, mercaturam sordidum quid esse & illiberale, sin minùs absolutè, at per comparationem ad Religiosum, multi demonstrarunt, non modò si agatur de mercatura tenui, quam Tullius l.1. officiorum, vltrò dat sordere, & illiberalem esse, sed etiam agendo de quantacunque & qualicunque mercatura. Ita latissimè Tiraquellus l. De Nobilit. c.33. Breuiter Stracha l. De Mercatura p.2. num.17. & habetur disertè l. *Nobiliores*, c. De commer. & mercat. & l. *Ne quis*, c. de dignit. & l. *si color talis*, c. *de cohort.* Quæ iura à nobilibus seiungunt, & de gradu impetratæ nobilitatis dejiciunt mercatores, & negotiatores, tanquam sordidos, si post exoratam nobilita-

nobilitatem reueniant ad mercimonium. Eo igitur nobilitas contaminatur & inficitur. Suffragatus perſpicuè eſt Ariſtoteles 7. Polit.c.9. ſtatuens vt manifeſtum, in ciuitate rectè conſtituta, mercatores & negotiatores arcendos eſſe à dignitatibus. [Propterea quod, (inquit,) ignobilis & abiecta, ac virtuti contraria eſt huiuſmodi vita.] Nempe propter denſas peccandi illecebras,& continua labendi pericula, etiamſi per ſe, poſſit non aduerſari virtuti. Apollonius quoque Tyanæus, referente Philoſtrato, l.4. c.9. negauit gentem vllam deiectiorem & miſeriorem eſſe, quàm negotiatorum: & Spartiatam quendam qui ſe negotiationi addixerat, tanquam generis ſui dehoneſtatorem, valdè increpauit, & ad abiiciendam eam vitæ rationem potenter eſt adhortatus. Denique l.8.c.5. agens de quodam Euphrate, ſecurè pronunciat, mercaturam & negotiationem eſſe Philoſopho & nobili quocumque pectore indignam. Intellexit hoc Theophilus Imperator, qui vxorem mercaturæ addictam, tanquam nobilitate ſe exuentem, acriter corripuit, & nauem cum mercibus iuſſit flammis tradi, vt memorat Conſtantinus Manaſſes in Annalibus nu.188. Nec ſatis appoſitè Adamus Gontzen l.8. Polit.c.9. Theophilum ſugillans, vxori patrocinatur. Nimirum, [dignitatis homini (inquit creditus Auguſtinus q.102. ex vtroque mixtim,) negotiari deforme eſt.] Functionem ergo cum ſeculari & mundana nobilitate non cohærentem, quis velit conſociare cum Religioſo ſtatu, quem ſupra Regum quoque & Imperatorum conditionem, extulit iuſta lucubratione S.Chryſoſtomus?

54. Concluditur ergo ex prædictis, nulla ratio-

ne ferendum videri, vt Religiosi fiant negotiatores; Et sanè vt alia occasione, sed tamen æquè appositè ad hanc rem dixit Petrus Cluniac. Epist. ad Sanctum Bernardum apologetica pro 20. articulis. [An non videtur indecens, imò indecentissimum, vt fratres qui assiduè in claustro morari, silentio, orationi, lectioni ac meditationi, ac cæteris Regulæ præceptis, & ecclesiasticis ministeriis intentissimè operam dare præcipiuntur, his omnibus dimissis, vulgaribus operibus intendant; & qui, vt Byssus, tabernaculi interiora sua pretiositate & subtilitate, hoc est cœlestium subtili contemplatione ornare debuerant, vt cilicium extrinsecùs positum, ventorum impulsiones, imbrium inundationes, & vniuersas aëris perturbationes, hoc est mundanorum operum, ninicas occupationes, eos ab intimis extrahentes, sustineant.]

§.4. *Supponenda ad Controuersiæ Dijudicationem.*

HActenus in vtramque partem agitata per Concertatores controuersia, iis vniuersè adductis, quæ & negotiationem cum Religioso statu fœderari posse videntur astruere, iuxta Mediastini saporem; & quæ inconciliabile eorum dissidium confirmant, iuxta Timotheum. Nunc vt solidam controuersiæ dijudicationem subjiciamus, præmittenda sunt aliqua in eam rem vel necessaria, vel opportuna.

55. Verùm priusquàm manum tabulæ admoueo, anteoccupandam video Religiosi Lectoris prudentiam, ne desiderium tollendi næuos Sanctorum corporum

porum vitio vertatur, arguárque maleuolentiæ in ſanctos Ordines, qui eorum, imò nonnullorum in eis præter ordinem viuentium probra retegam. Hác ego criminationem non aliter amoliar, quàm fecerit Philippus Abbas l. De contin. cler. c. 89. [ſi quis (inquit) proteruum me dixerit, quòd audeam vel mutire de moribus Monachorum, (videtur enim præſumptio vitam arguere meliorum,) viros ſanctos ducam ad medium, qui non liuoris toxico, ſed zelo Iuſtitiæ ferbuerunt, feruentéſque ſpiritu, nequaquam Monachos reprehendere timuerunt. Gregorius & Hieronymus, quos conſtat vita & ſcientia floruiſſe, & quos tam re quàm nomine ſcimus Monachos extitiſſe; & ordinem Monachicum prout decuit dilexerunt, & Monachorum vitia, nec timore nimis, nec amore noxio tacuerunt.] Subdit Philippus, varia ſanctorum illorum Patrum loca, quibus quàm illi Religioſorum vlceribus non ſint immiſericorditer abblanditi; ſed eis ſcalpellum & cauterium in tempore adhibuerint, teſtatum facit. Mihi non tam expreſſi imitatione, SS. Patres, quam repræſentati & exſcripti, præſidio erunt. Ferè enim illa duntaxat Religioſorum probra referam, quæ apud Patres deprehendi: Et referam ipſorummet Patrum verbis, vt nemo me, abſque Patrum violatione, velle notatum poſſit. Quamquam eſt & illa ad manum parma ex Cantipratano l. 1. Apum. c. 20. n. 9. [Si quis culpabilis de duritia verborum dictorum conqueritur, corrigat ſe, & contra ſe prolata non audiet. Si quis verò legentium, ſe à reprehenſis mordaciter vitiis, inuenerit innocentem, non iraſcatur, nec indignetur mihi; Sed gaudeat vitia, de quibus conſcius non eſt, in conſciis reprehendi.

Si quis verò indignè dicta verba tulerit, notabilem ſe reddet in dictis, & veritatis planiſſimæ detractorem.] Sic præfatus, ad rem aggredior.

50. Illud itaque in primis ſtatuendum eſt, Religioſos tametſi auaritiam bello indefeſſo exagitare, vi voti Paupertatis ac ſtatus ſui profitentur, tamen præſtigiis communis boni à Satana faſcinatos, auaritiæ ſcabie interdum corripi, & in paranda vel augenda re domeſtica, vrgente auaritia, conſectari interdum lucrandi rationes indecoras, & à ſtatu ſuo diſſentaneas, ne exceptis quidem Anachoretis, quos neſciuiſſe quid eſſet auaritia, ſcribit Iſido. Peluſ. l.3. Epiſt.234. Pudet dicere, & videri poſſem Paradoxum incredibile proferre, niſi & experientia quotidiana, & Patrum increpationes atteſtarentur, ac etiam externorum ſibili; Ethnicorum dico.

Sanè Iulianus Apoſtata Orat.7. in Cynicorum exagitatione, notam auaritiæ Religioſis Chriſtianis inuſſit. [Equidem (inquit,) iamdudum hoc nomen vobis impoſui, quod nunc mihi videor eſſe ſcripturus. Genus eſt quoddam hominum, quos infœlices Galilæi, *Renunciatores* vulgò nominant. Horum plerique, poſtquàm exiguis ſeſe bonis abdicauerint, admodùm multa, vel omnia potiùs vndique corradunt. Adeò vt ingenti aliorum honore, ſtipatu, atque officio celebrentur. Eiuſmodi ferè eſt quod à vobis geritur, præter pecuniarum quæſtum, qui quod minùs vobis ſuppetat; non vobis, ſed nobis ipſis tribuendum eſt, qui fatuis illis paulò plus ſapimus: ac fortaſsè pro eo quod nullus corrogandæ pecuniæ, quem illi habent vobis eſt color, quam neſcio quomodò, eleemoſynam appellant. Cætera vobis & illis ſunt ſimillima. Patriam, vt illi, reliquiſtis,

quistis, vagi vbique discurritis, & comitatui Principis magis quàm illi, & procaciùs importuni estis. Illi enim vocati; vos etiam repulsi, molestiam exhibetis.]

57. Patrum dicta, tanquam elongatiora à calumnia, validiùs rem conficient. Cassianus, insignis planè rei Asceticæ magister, totum librum 7. huic vitio in Monachis extirpando addixit, supponens vt indubitatum, eos esse huic morbo obnoxios. Et collat. 4. c. 20. refert prætextus Monachorum auaritia corruptorum, nempe ædificationem noui Monasterij cui præficiantur, fratrum aut famulorum nutum, & his similia charitatis speciem præferentia.

S Hieronymus, creber ac multus est in sugillanda Monachorum auaritia, & fœdis planéque indignis rationibus faciendi diuitias, non in iudicio. Locum ea Epistola ad Rusticum, de Institut. Monachi, supra protuli. Idem S. P Epist. ad Nepotianum, tribuit auaritiæ Monachorum, & Clericorum, leges ciuiles quibus excludebantur aditione hæreditatum. [Pudet dicere, (inquit,) Sacerdotes Idolorum, mimi, & aurigæ, & scorta, hæreditates capiunt: solis Clericis & Monachis hoc lege prohibetur, & prohibetur non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis, nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quò mihi vulnus, vt indigeam cauterio! Prouida seueraque legis cautio, & tamen nec sic refrænatur auaritia. Per fideicommissa legibus illudimus, & quasi maiora sint Imperatorum scita, quàm Christi, leges timemus, Euangelica contemnimus.]

58. Autor libri de Operibus Christi Cardin. in Prologo *sub finem*, præfatus, etiam in iis qui san-

ctimoniam profitentur, Religionem manum non claudere porrectis muneribus, solitudinem aures non obserare oblatis fauoribus, gulam communibus non esse contentam saporibus, humilitatem infestante superbia quasi canem applicari contumeliis à mente desiderij sui veneno ebria; hæc inquam præfatus Autor ille, subiungit in his omnibus, serò pœnitentiam adducere confusionem; [Sed auaritiæ solius & quæstus ardor, nec satiat cupidum, nec pœnitet eum cumulasse quod crescere optat non minui; & discola obstinatus, semper quid Idolo suo immolet, sedulus coaceruat. Vnde hæc sitis diuitiarum miseris pectoribus assidet, & ambitionis Salsugo bibulam animam occupat, vt per fas & nefas ad loca superiora, etiam de latebris eremi nonnulli se ingerant: & de omni gradu vbi aliquis aditus patet, anheli prodeant, discurrant ad Iudices, blandiantur mediatoribus, conducant auxiliarios, & modis omnibus elaborent, vt sedeant cum Principibus; eo quæstu, vt maledicat Deus, quod ipsi benedixerint, & benedicat quod maledixerint.]

Ioannes Sarisber 7. Polycrat. c.17. præclarè idipsum prosequitur, his præter cætera. [Declinare nituntur aliqui, & si non maculam, odibilem tamen auaritiæ notam; Nam & ab alienis videntur abstinere, & suis, cùm res exposcit, liberè vti parati sunt. Eis tamen de fonte malorum oritur alicuius vitij vena, quæ semitas eorum à tramite veræ fœlicitatis deflectat. Sicut enim in horto deliciarum, de vno fonte oriuntur flumina, quæ fœcundant suauissimi odoris agrum, cui Dominus benedixit: Sic in loco horroris, & vastæ solitudinis in terra scilicet obliuionis, quam illi inhabitant, qui sui obliui-

scuntur

ſcuntur in mundo, velut ſtupidus ludorum vanitate captus in theatro, quaſi de fonte vno, omnium capita pullulant vitiorum. Hic autem puteus iniquitatis eſt.]

59. Inſigniter in hanc rem diſſerit, & optimam rationem ſummæ pronitatis Religioſorum vtriusque ſexus ad auaritiam ſubminiſtrat S. Auguſtinus l. De Bono Viduit. c. 21. qui liber ad viduas continentiam profeſſas dirigitur, vt ex libri fronte liquet. Ait ergo ibi S. Auguſtinus. [Abſit à vobis, vt Diuitiarum cupiditate capiamini pro cupiditate nuptiarum, & in cordibus veſtris nummus pro viri amore ſuccedat: Intuentes enim hominum conuerſationem, ſæpè experti ſumus, in quibuſdam laſciuia compreſſa, creuiſſe auaritiam. Nam ſicut in ipſis ſenſibus corporis, acutiùs audiunt qui non vident, & tangendo multa diſcernunt, nec tanta viuacitate tangunt qui oculis vtuntur; Vbi intelligitur ex vno aditu, id eſt luminum, repreſſa intentione, ſentiendi vim in alios ſenſus promptiorem dignoſcendi acumine exercere, tanquam ex altero conetur implere quod negatur in altero: Ita etiam ſæpè carnalis cupiditas à concumbendi voluptate cohibita, maioribus viribus in pecuniæ ſe porrigit appetitum, & illinc auerſa, huc ſe impetu ardentiore conuertit.]

Creditus item Auguſtinus, re vera S. Anſelmus l. De vita Eremit. ad ſororem c. 5. ſcabiem auaritiæ Nonnarum, ſiue Monialium, ſiue Incluſarum, ſic exponit. [Aliæ non multùm iſta curantes (quod ferè vitium per omnes huius temporis ſerpit Incluſas,) pecuniæ congregandæ, vel multiplicandis pecoribus inhiant: tantaque cum hac ſolicitudine in

his extenduntur, vt eas matres vel Dominas familiarum existimes, non anachoretas. Quærunt aliquibus pascua pastores, qui procurent, qui custodiant greges; fructus, vel pretium, vel pondus, vel numerum à custodibus expetunt. Sequitur emptio & venditio, vt nummus nummo cumulum exigat, & auaritiæ sitim accendat. Fallit enim tales, spiritus nequam pro impertiendis eleemosynis aut orphanis alendis; pro aduenientium parentum vel amicorum charitate, & religiosarum fœminarum susceptione, hoc vtile esse ac necessarium suadentes.]

60. Singularia huius morbi Religiosorum exempla, signari possent innumera; nisi vbiuis obuia prostarent. Illustre est illud, quod S.Hieronymus in S.Hilarionis actis recitat de Monacho auaro, cuius primitiarum putorem, ne boues quidem ferre potuerunt. Idem S.Hieronymus Epist. ad Rusticum de Monachi Institut. auaritiæ cum sacrilega inhumanitate in Monacho coniunctæ, exemplum his verbis refert. [Vidimus nuper & planximus, Crœsi opes vnius morte deprehensas, vrbisque stipes, quasi in vsus pauperum congregatas, stirpi & posteris derelictas. Tunc ferrum, quod latebat in profundo, supernatauit aquæ: & inter palmarum arbores, myrrhæ amaritudo monstrata est, nec mirum. Talem & socium & magistrum habuit, qui egentium famem suas fecit esse diuitias, & miseris derelicta, in suam reseruauit miseriam: quorum clamor tandem peruenit ad cœlum, & patientissimas Dei vicit aures, & missus Angelus pessimus Nabal Carmelo diceret: Stulte, hac nocte auferent animam tuam à te, quæ autem præparasti, cuius erunt?]

Itaque

Itaque non modò inuita paupertas malum est insatiabile, vt differit S. Chrysostomus l.3. De Sacerd. *sub finem*, sed paupertas quoque voluntaria, nisi prospiciatur, eadem inexplebilitate corripitur, variis prætextibus, quos partim S. Anselmus paulò antè adductus attigit, partim Cassianus superiùs item allegatus ex Collat.4.c.20. Videndus item l.7.c.7.& 16. Et quamuis sæpè auaritia Regularium videatur non impetere paupertatem, quia persona nón sibi, sed cœnobio & communitati quærit diuitias; (qui morbus improuidis præsertim præfectis, & administris cœnobiorum infestus esse potest;) tamen per eam prætensam charitatem, non excluditur auaritiæ turpitudo, quia salua est cupiditas opes opibus accumulandi, & insatiabilis ingluuies terrenorum bonorum, quæ est flos auaritiæ, qua, quò quis ditior est, eò re vera est pauperior, tam non habens quæ tenet, quàm quæ procul sunt, vt diuinè differit Barlaam apud Damascenum in Hist. c.18. Pulchrè in eam Ecclesiasticorum, & Regularium maximè, labem, cum congruo illis otio sancto pugnantem, disserit creditus Prosper l.2. De Vita contempl. c.13. & 15.

61. Iam quando liquet, Religiosos etiamsi paupertatem profitentes, posse de auaritia periclitari, & ferri desiderio augendi modis dedecentibus ac indebitis rem domesticam, præmittendum secundo est, eas indebitas ac dedecentes vias, posse esse diuersorum generum. Nam aliquæ quidem sunt apertè reprobæ & impiæ, aliæ verò minus tetræ sunt, & aliqua boni specie obductæ. Ad priorem ordinem pertinet, primò furtum sacrilegum, quale est eorum qui per auaritiam, Iudæ imitatione expilant Christi

loculos sibi concreditos. Abiit in æternum exitium hac ratione, Euprepianus ille Monachus sub Theodoro Studita, cuius vir sanctus his verbis meminit serm.9. Catecletico; post celebratam verbis amplissimis primam eius sanctitatem & fidei cõfessionem. [Tum quid autem? Habens, vt œconomus, marsupium monasterij,& quæ injicerentur; auro illectus, atque auaritia confixus, heu ! Christum Iudæ instar prodidit, & virginitatis deposito voto, & Giezicè agris, vineis, bobus, ouibus coëmptis. Quare non eius lepram modò contraxit, sed vti reor, & tristius quiddam. En quid perfecit auaritia fratres. Fugiamus hoc vitium quæso, vt proditionis officinam.]

62. Sacrilegi item furti, notatos à Patribus alia ratione reperio plerosque Religiosos, in quorum piceatis manibus adhærescere contigit eleemosynas illis concreditas, vt erogarentur in pauperes. Hoc fœtidissimo auaritiæ cancro exesum Ioannem, Monachum S.Macharij Ægyptij, scribit Palladius sect. 19. laus. [Obediens enim ei qui Iudæ alligauit laqueum, cum bona pauperum sibi vsurpasset, ita laborauit elephantia, vt non inueniretur integer locus in eius corpore, in quo quis posset figere digitum; Hæc est Prophetia S.Macarij.] Prædixerat enim ei vir sanctus, si spiritui auaritiæ succomberet, fore vt veniret in eum lepra Giezi. Tales fuisse suo tempore nonnullos, gemit creditus Prosper l. 2. De vita contempl. c.4. post multa reprehensa in conuersis, hoc est Religiosis, [mutatis (vt ait) veste non mente, habitu, non actu, qui sermone tantùm non opere seculo renunciasse contenti, seculariter viuunt, & vitia sua inani professione vitæ melioris abscondunt; ac religionis imaginariæ nomine palliati,

liati, opinionem virtutis pro virtute ſuſcipiunt.] Inter hos aliquos eſſe ſubdit, fures ſacrilegos, ob ſubductas ſacras ſtipes. [Illos quis ferat, qui adumbratæ prætendentes honeſtatis imaginem, ad hoc pupillorum, ac viduarum cauſas velut tuendas ſimulata pietate ſuſcipiunt, vt earum facultates ſuis adjiciant, & diuites ex pauperibus facti, vel ex diuitibus ditiores, tenuem cenſum per nefas accumulent, vt cùm fuerint, exundante patrimonio ſumptuoſiores effecti, nunquam materia voluptatis gulæ ſuæ deficiat.]

Iſidorus Peluſ. l.3. Epiſt.277. ſic de iiſdem ſacrilegiis ſcribit. [Eos qui cùm à virtute incipiant, tandem in vitium deſinunt, omni zelo vacuos, ac miſeros exiſtimare oportet. Huiuſmodi autem ſunt, qui à pauperum præſidio ac patrocinio inchoantes, in priuatum quæſtum poſtremò recidunt: quos quidem diuinum oraculum reprimens, *iuſtè* (inquit) *quod iuſtum eſt perſequeris.* Neque enim conuenit, vt qui pauperum iuſta inſtructi ſint cura, eamque præ ſe ferant; & eos quorum cauſa inaniti ſunt, fraudent ac ſpolient, atque ea quæ ad ipſos attinent, ad ſe auertant.] Scitè idem reprehendit l.5. Epiſt. 183. & vehementiſſimè, ipſúmque (vt ait) atramentum lachrymis diluens Epiſt.210. ad Zozimum Presbyterum, quem huius ſacrilegij coarguit, cuius etiam Euſebium quendam notat Epiſt.301. Spectat huc illud Hieronymi monitum, ad Paulinum de Inſtit. Monachi [Pauperibus & fratribus, refrigeria ſumptuum manu propria diſtribue. Rara eſt in hominibus fides. Non credis verum eſſe quod dico? cogita Iudæ loculos.] In aliis id grauiter damnat Ioannes Sariſber. l.7. Polycrat. c.17. Videſis etiam

apud S.Augustinum Episto.199. exemplum duorum ambiguorum Monachorum,de quibus Ecdiciæ maritus expostulabat ob hanc causam.

63. Hæc præter cæteras ratio fuit, cur sancti & prudentes Religiosi, veriti ne subrepente auaritia minuerent quæ Deo offerebantur, respuerint prouinciam distribuendi in pauperes, quæ diuites in eorum commodum propter Deum eroganda destinabant; idque ne in se susciperent, à Patribus sæpè sunt dissuasi. Cauisse hoc S.Hilarionem scribit S. Hieronymus, idem commendans Nepotiano. De S.Stephano iuniore, idipsum habent eius Acta. S. Basilius, Chilonem sic informabat. [Aurum maximoperè, vt animæ tuæ blandissimum insidiatorem, vt parentem peccati, vt denique Diaboli administrum, modis omnibus fugito. Prætextu subleuandæ pauperum inopiæ prouideto, ne quâ fias studio inexplebili cogendæ pecuniæ obnoxius : adeò vt si quis pecunias adferat in inopum vsum adrogandas, ipse item certò cognoris aliquot fulciendæ vitæ præsidiis destitutos, atque indigos, is in cuius ære sunt pecuniæ, fac consilio tuo secum eas, vt auferat egenis fratribus erogaturus, ne quâ contingat, vt cùm dispertiendas ipse acceperis,earum astrictu, conscientiæ tuæ nitor situm ducat auaritiæ, & inquinetur.] Giselberto Monacho, idipsum grauiter commendat Petrus Cluniac. l.1. Episto. 20. & ita quidem,vt neget,vel adigente Superioris præcepto, necessitatem fore parendi.

Ad eundem primum ordinem apertè reprobarum viarum faciendi quæstum, pertinet impietas quorundam Monachorum, qui eam ob causam finxere miracula. Vtinam fingerentur, quæcunque produntur

tur in hoc genere. Certum tamen est, strophas plerasque interuenisse hac in parte, per homines Religionis nomen ementientes, ac æstimantes quæstum esse pietatem. Illachrymans in templis ebur, (vt est apud Poëtam 1.Georg. & apud D.Augustinum 3. de Ciuit.c.11.) æmulatos quosdam ex eo hominum genere, ad statuæ cuiusdam oculos, per stipitem incisum distillantem melliginem exhibuisse, vnde statua lachrymari credita, scribit Nancelius ad finem libri De risu; & exemplo sui temporis prolato, idem confirmat Polydorus Virgilius l.3. De Prodigiis *sub finem* Nolo hoc vlcus fortiùs premere, tametsi non me latet, præter varia quæ peruersè & ad inuidiam conflandam excogitata flagitiosè sunt ab Hæreticis & semi-Christianis, nominatimque ab Henrico Stephano in Camarina mendaciorum aduersùs sacros homines, cui titulum fecit, *Præparatio ad Apologiam pro Herodoto*; alia nonnulla proferri verè posse digna plagis & fustuario, imò patibulo, aut viuicomburio, quæ præstat silentio damnare. Non puduit tamen Prosperum in dimidio temp.c.6. duo in hanc rem exempla, alterum Carthagine, alterum in Asia attentatum à Pseudomonachis, scripto committere.

64. Sunt in eodem ordine venditores sacrarum reliquiarum, quales quosdam Græcos Monachos exhibet S.Gregorius, l.3. Epist.30. vt habet epistolæ præfixus breuiculus. Circelliones, impium ac detestabile genus Monachorum, idem fecisse; hoc est pro Martyrum reliquiis, ossa vulgarium cadauerum vendidisse, scribit S.Isidorus l 2. De Offic. Eccles. c.15. qui profecit ex S.Augustino. l.de Opere Monach. cap.28. satis insinuante, has & alias auaritiæ

abortiones, non fuisse Monachorum, sed vagorum quorundam, ementientium nomen Monachorum. Sic enim scribit, [O Serui Dei, milites Christi, itáne dissimulatis callidissimi hostis insidias, qui bonam famam vestram, tam bonum Christi odorem, ne dicant animæ bonæ, post odorem vnguentorum tuorum curremus, & sic laqueos eius euadant, omnimodo cupiens obscuare; putoribus suis tam multos hypocritas sub habitu Monachorum vsquequaque dispersit, circumeuntes prouincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant: alij fimbrias & phylacteria sua magnificant: alij parentes vel consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse viuere, & ad eos pergere mentiuntur, & omnes petunt, & omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis, cùm interea vbicunque in factis suis malis deprehensi fuerint, vel quoquo modo innotuerint, sub generali nomine Monachorum vestrum propositum blasphematur.] Hæc à Diuo Augustino de ementitis Monachos grassatoribus recitata, commodare æquè possunt, ad subducendos calumniæ multiplici variis occasionibus veros religiosos: tametsi non eo inficias, auaritiam in quibusdam religionem professis hucúsque esse progressam, præter exempla aliorum, quæ collegit Stephanus Durantius l.1. De Ritibus c.25. num.9. Vnde decretum Concilij Lateran. sub Innocentio III. c.6. De comprobandis Romani Pontificis authoritate nouis reliquiis, quod Episcoporum acri disquisitioni permisit Tridentina Synodus sess.25.

65. Fuerunt etiam Religiosi, qui pecunia numerata

rata venderent admiſſionem in vitam Monaſticam, contra quos conclamat Conc. Nicænum 2. can. 19. Vbi idem à Monialibus factum refertur. Idem ſeuerè vetat Alex. 3. in Conc. Later. parte 2. c. 10. & Concilium Oxon. ſub Innoc. 3. c. 32. & Concilium Treuerenſe 2. c. 12. Nominatímque quod attinet ad Moniales, tantoperè inualuerat ſacrilega iſta profanitas tempore Innocentij 3. vt in Concilio Later. c. 64. habeat hæc verba. [Simoniaca labes adeò plerasque Moniales infecit, vt vix aliquas ſine pretio recipiant in ſorores, paupertatis prætextu volentes huiuſmodi vitium palliare.] Habemus igitur hîc quoque, ſacrilegum auaritiæ genimen, in vtriuſque ſexus cœnobiis peruerſè enatum.

Excedamus è tanto auaritiæ pſeudoreligioſorum fœtore. Minùs tetri, ſed qui tamen illiberales quoque, & ſordidi ſint modi quæſtum faciendi ex pietate per Monachos, ſugillantur non rarò à Patribus. Sic S. Hieronymus Epiſt. ad Nepotianum, Hæredipetas quoſdam Monachos, ſordidiſſimè ſe habentes, his verbis deſcribit. [Audio præterea in ſenes & anus abſque liberis, quorundam turpe ſeruitium: ipſi apponunt matulam, obſident lectum, purulentiam ſtomachi, & phlegmata pulmonis, manu propria ſuſcipiunt: pauent ad introitum Medici: frementibúſque labiis, an commodiùs habeant, ſciſcitantur: & ſi paululum ſenex vegetior fuerit, periclitantur; ſimulataque lætitia, mens intrinſecùs auara torquetur. Timent enim ne perdant miniſterium, & viuacem ſenem, Mathuſalem annis comparant. O quanta apud Deum merces, ſi in præſenti, pretium non ſperarent! Quantis ſudoribus hæreditas caſſa expetitur? minori labore margaritum

Christi emi poterat.] Videndus circa hoc idem Hieronymus, Episto. 22. vbi duos nominatim Monachos refert, qui hac infamia flagrarunt, Anthymum & Sophronium. Et tantoperè excreuit fœtor auaritiæ istorum pecuniæ discolarum, vt coactus sit Damasus Papa, interuentu Valentiniani Imperatoris, frænare hos hæredipetas lata lege, qua non Ecclesia, vel cœtus quispiam sacer, sed priuatæ personæ Ecclesiasticæ, & nominatim Monachi, excluderentur aditione hæreditatum vi Testamenti confecti à mulieribus, quæ præ iudicij imbecillitate faciliùs patebant inescationi. Malè autem Valentiniani legem & eius scopum perspexerunt, qui censuerunt, eam fuisse latam ex odio in sacros homines, moxque abrogatam. Ita visum Molano lib. de piis Testam. c. 34. Veram autem quam dixi legis causam, frænationem scilicet auaritiæ sacrorum hominum hæredipetarum, nominatim Monachorum, optimè vidit Baronius anno 370. num. 120. & nuperrimè Nicolaus le Maistre lib. 2. de bonis Eccles. c. 1.

66. Aliam Monachorum quorundam in hoc genere corruptelam, ex eodem S. Hieronymo describit Sarisber l. 7. Polycrat. c. 23. notans hanc ob causam S. Hieronymum apud Monachos nonnullos fuisse exosum tanquam mordacem & amarulentum, id quod æquè de eo propterea iactatum, meminit Seuerus Dialo. 1. Hieronymum ergo referens Sarisberiensis, ait, irregularem quandam sui temporis regulam, tantò ante ab eo fuisse notatam, cùm diceret. [Ridiculum & plenum dedecoris est, referto marsupio, quod sudarium & orarium non habeas gloriari. Sunt qui pauperibus parum tribuunt, vt ampliùs accipiant, & sub prætextu eleemosynæ

quærunt

quærunt diuitias; quæ magis venatio appellanda eſt, quàm eleemoſyna. Sic beſtiæ, ſic aues, ſic capiuntur & piſces. Modica eſca in hamo ponitur vt in eo matronarum ſacculi protrahantur. Et vtique melius non habere quod tribuas, quàm vt tribuas petere impudenter.]

Eſt hic fœtus auaritiæ genuinus, iuxta eundem Sariſberienſem l.8.c.13. [Nam fœnerator, (inquit,) vt plus recipiat, aliquid prælargitur.] Vnde Coquus:

Munera quòd ſenibus viduisq; ingentia mittis,
Vis te munificum, Gargiliane vocem?
Sordidius nihil eſt, nihil eſt te ſpurcius vno,
Qui potes inſidias, dona vocare, tuas.
Sic auidis fallax indulget piſcibus hamus,
Callida ſic ſtultas decipit eſca feras.
Quid ſit largiri, quid ſit donare, docebo,
Si neſcis; dona Gargiliane, mihi.

Nolo plus turpitudinis agnoſcere in illis verbis Petri Cluniacenſis l.1. Epiſt.20. ad Gilbertum. Tametſi enim aliqua quæ habet, ſonare videntur furtum ſacrilegum, de quo ſuprà, tamen haud grauatè feram, eius orationem reſtringi ad ſordes minores; tribuentium ſcilicet aliqua pauperibus, vt ad ſe corriuent alienæ liberalitatis fluenta. [Per ſuperbiam, (inquit de religioſo malè morato,) quæ initium eſt omnis peccati ad auaritiæ idololatriam doloſè inducitur. Nam qui penuriam profeſſus fuerat, paulatim opes congregat: Nec priùs deſiſtit, quàm alienis reatibus proprium penu farciat. Simulat ea colligens, indigentiæ ſupplementum; vel ſi quid ſuæ neceſſitati ſuperfuerit, indigentium adiumentum. Vult diſpenſator fieri alienorum bonorum, qui

possessionem abiurauerat propriorum. Hac occasione Dei seruus, mammonæ efficitur famulus; vt cum se fingit egenorum vtilitati prospicere, cupiditati suæ valeat inseruire. Ea de causa, omnes ad subueniendum pauperibus exhortatur, vt dum Paulus ministrans sanctis esse creditur, Ananias fraudator nullatenus æstimetur. Hoc astu, tugurium pauperis fit Regum gazophylacium; solitarij inopia, Salomonis opibus antefertur; & de spelunca egestatis, Indorum thesauri largissimè profunduntur.]

67. Et aliud ad hunc ordinem pertinens sordium genus, quo Religiosi, candidatos ordinum suorum iusto acriùs exsugunt, contra quàm faciebant Monachi Ægyptij apud Cassianum l. 4. c. 4. & 5. qui ne vestes quidem candidati, cedere in cœnobij bonum sinebant, & nihil planè ab eo inferri permittebant. Aliter tamen Serapion in Regula §. 1. Nec ego item nego, quin iustum sit ac conueniens Religionum candidatos inter pauperes, in quos de Christi consilio sua erogant cùm ingrediuntur; numerare cœnobium in quod cooptantur: idque facient ex vsu antiquo Ecclesiæ, de quo Bellarm. l. De Monach. c. 43. Sub disiunctione S. Bened. c. 65. Reg. Nouitium, bona sua, aut pauperibus, aut solenni donatione Monasterio dare, mandat; Id igitur innoxium est. Nec ferendi sunt seculares, qui suos petentes cœnobium, non secus ac extraneos, vel nothos, nulla hæreditatis portione in bonum cœnobij vertenda, frui volunt; quos acerrimè & plenissimè in Opere ad Catholicam Ecclesiam exagitat Saluianus, vbi Machærentinus l. 3. à c. 2. nihil cognatis relinquendum latè confirmat. Quod igitur dico, illud duntaxat est, dedecere religiosos nimium studium exsugendi

Candi-

Candidatos; ſed ita debere quod commodè, & vltrò conferunt, ab ingredientibus accipere, vt non (quod improuidi ſponſi faciunt,) cenſum potiùs, quàm perſonam quærere videantur. Benè S.Bernardus Epiſt.107.alloquens Thomam de Beuerla Ciſterienſis cœtus candidatum. [Nos te, non tua diligimus.] Et Epiſt.1. agens de adſcripto (vt ferebatur) à pueritia Cluniacenſibus, Roberto. [Oſtenditur terra, quæ cum illo, & pro illo, dicitur data fuiſſe; Sed ſi cum terra eum receperunt, cur non & cum terra eum retinuerunt? An fortè requirebant magis datum, quàm fructum, & pluris æſtimata eſt terra, quàm anima?] Conati tamen ſunt hanc maculam à ſe remouere Cluniacenſes inſigni ſtatuto, quod edidere ſub Henrico Abbate. Habetur in Bibliotheca Cluniacenſi *pag.* 1570. vbi excommunicatio decernitur in quoſcunque Cluniacenſes,ſordibus auaritiæ inquinatos in receptione ad Ordinem. Itaque ſicut ſeculares decet in liberos humanitas, quam in Sancta Iulianæ ac Probæ, auiæ matriſque Synoride, (id eſt pari & concorde binario,) laudat S.Hieronymus Epiſt. ad Demetr. teſtatus eas quicquid fuerat nuptiis præparatum, ad Virginitatem ſecedenti Demetriadi, reliquiſſe; ita Religioſi moderationem ſuam teſtari debent.

68. Ab his ſordidis & illiberalibus, tametſi aliquo colore obductis augendæ rei domeſticæ rationibus, longè abfuit Abbas ille Villarienſis, quem Cantiprat. l.2. Apum. c.26. n.5. refert noluiſſe vlla ratione admittere magnas opes, ſuò Monaſteriò per vſurarium legatas, etiamſi non referatur defuiſſe vſurario vnde ſarciret damna per vſuras illata. Quanquam enim rebus ita conſtitutis, poſſe ad-

mitti vſurarij legatum, rectè agnoſcit S.Bonau. in determinat. circa Regulam S.Franciſci, q.26. tamen S.Abbas eam fœneratoris largitatem obfirmatè repudiauit, nolens contaminari per ſordidum hominem, tametſi de ſuo, non de rapina, præbentem diuitias. Nec Deus pium ac generoſum Abbatis pectus dimiſit irremuneratum, vt ibidem recitat Cautipratanus.

69. Quia inter has ſordidas diteſcendi, & quæſtum faciendi rationes, tametſi iniuſtitiæ vacuas, numeratur negotiatio, præmittendum tertiò eſt, quid ea ſit, & quotuplex. Quid ſit negotiatio, inquirit Author Imperfecti operis in Matth. Homil.38. ad illud, *ejiciebat ementes & vendentes è templo*. Cùm enim multis verborum telis appetiiſſet negotiatores, inducit ſic interrogantes auditores. [Ergo oſtende nobis quis eſt negotiator? Omnes enim homines videntur negotiatores. Ecce qui arat, comparat boues, vt ſpicas vendat; Et qui operatur lignum, comparat lignum, vt vtenſilia vendat: & linteonarius comparat linteamina, vt vendat & oſtendat, & fœnerator mutuat pecuniam, vt tollat vſuras. Et quo modo antiqui Iudæi & Apoſtoli artificia laudauerunt? quia magis ſunt ſine peccato. Sicut & Paulus fuit ſutor tabernaculorum, & ipſe mandat dicens: Curent & noſtris bonis operibus præeſſe. Et Apoſtoli quidem ſicut legimus piſcatores.] Ad hanc difficultatem ſic reſpondet autor ille. [Ego oſtendam qui non eſt negotiator, vt qui ſecundùm iſtam regulam non fuerint, intelligas omnes negotiatores eſſe: id eſt, quicunque rem comparat, non vt ipſam rem integram, & immutatam vendat, ſed vt opus faciat ex ea, ille non eſt negotiator; quia

qui materiam operandi si comparat, vnde faciat opus, ille non rem ipsam vendit, sed magis artificium suum, id est qui rem vendit, cuius æstimatio non est in ea ipsa re, sed in artificio operis, illa non est mercatio. Vtputa Faber comparat ferrum, & facit ferramentum: sed ferramentum illud, non tantùm habet ferri quantum valet, sed secundùm opus ferramenti appretiatur. Qui autem comparat rem, vt illam ipsam integram, & immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.]

Hæc est strictissimè dicta negotiatio, qua merx emitur, vt eadem nullatenus immutata reuendatur ad lucrum faciendum. Est autem alia negotiatio, qua res coëmpta & mutata, venditur alteri. Vt cùm ferrum formatur in securim, vel cum è ligno conficitur scamnum, idque postea venditur. Idem est de pullo equino, qui emitur vt nutriatur donec crescat, & pro equo vendi possit. Vtraque hæc emptio & venditio dicitur negotiatio lucratiua, quia fit vt res postea cariùs vendatur: potestque vel immediatè ac per seipsum, vel mediatè ac per alium exerceri.

70. Addit Ioannes Medina Cod. De Restit. q.31. duas alias negotiationis formas, quas vocat negotiationem œconomicam, & politicam. Priorem dicit esse negotiationem quæ exercetur ad sustentandum se, ac domum suam, prout necessitas exegerit. Exemplum assignat, eius qui comparat pretio, quæ domui suæ sunt necessaria: vel eius qui de reditibus bonis ac superfluis, vendit quantum necesse est, vt comparet magis necessaria. Politicam verò negotiationem, aliter sumit Medina, quam alij, apud quos ea vox designat negotiationem naturalem, qua

emuntur quæ ad vitam sunt necessaria, aut res mutata reuenditur. Refert eam vocis prædictæ nationem Rebellus 2.p. l.9. q.18. s.1. n.2. At apud Medinam, Negotiatio politica ea est, qua publicis populi necessitatibus succurritur. Cæterùm hæc negotiationis membra, sunt merè materialia, nec pertinent ad formalem negotiationis diuisionem. Quòd enim hic aut ille exerceat negotiationem in familiæ aut ciuitatis commodum, est discrimen merè materiale, nec pertinens ad diuersam formam negotiationis, sicut pertinebant alia anteriora membra, quæ proposuimus. Præterquàm quòd, si hæc membra conuenienter assignarentur, æquè addendum esset aliud membrum, nempe negotiationis monasticæ, quo quilibet mercatur sibi necessaria. Inde tamen colligi potest tertia negotiationis species vtrique illi membro communis iuxta Medinam, nempe ementium sibi ac suis necessaria, vel vendentium quæ sibi ac suis sunt superflua.

71. Atque ita habemus triplicem posse statui negotiationem. Nempe primò simplicem, qua emuntur necessaria, aut venduntur superflua, quæ dici potest latissimè sumpta negotiatio, contradistincta lucratiuæ, vt notat Maior. in 4.d.15.q.40.*initio*. Secundò lucratiuam strictè acceptam, qua res non mutata, nec in aliam formam redacta venditur, siue per seipsum, siue per tertium ad id adhibitum, vt adhibenti lucrum fiat, quæ est propriissimè & strictissimè dicta negotiatio. Tertiò lucratiuam, qua res empta in eum finem, mutatur in aliam formam, vel statum meliorem, & per se aut per alium venditur cariùs ad quæstum faciendum, quæ est medio quodam modo vsurpata negotiatio, pressior quàm prima,

ma, & laxior quàm ſecunda. Ad has negotiandi rationes, aptanda eſt reſolutio controuerſiæ propoſitæ, definiendo quænam earum abſque auaritiæ labe, & ſtatus Religioſi dedecore poſſit à Religioſis exerceri. Qua in re eſt difficultas non modica; ita vt Maior. in 4. d.15. q.41. *in dubio annexo*, fateatur, non poſſe aſſignari hac in parte vnam certam regulam, penes quam ſtatuatur qua negotiatione ſit ſacris hominibus interdictum, qua ſecùs. Conſentiunt quidem omnes, vetari Clericis & Religioſis negotia ſecularia, & turpe lucrum, ac ſordidos quæſtus. Sed qui ſint ij ſordidi quæſtus, & quæ ſint turpia lucra, non eſt definitu adeò facile. Similitérque non eſt adeò facile exponere, quæ ſint *negotia ſecularia* dedecentia ſacras perſonas. Concilium quidem 1. Moguntinum ſub Leone 3. Tempore Caroli Magni, c.14. Id tentauit exponere; non videtur tamen eius reſolutio explere animum. Ait enim [Miniſtri altaris Domini vel Monachi, nobis placuit vt à negotiis ſecularibus omnino abſtineant. Multa ſunt ergo negotia ſecularia; de his tamen pauca perſtringimus, ad quæ pertinet omnis libido, non ſolùm in immunditia carnis, ſed etiam in omni concupiſcentia carnali, quicquid plus iuſto appetit homo; turpe lucrum, munera iniuſta accipere, vel etiam dare, pro aliquo ſeculari quæſtu pretio aliquem conducere, contentiones & lites, rixas amare, in placitis ſecularibus diſputare, excepta defenſione orphanorum, aut viduarum. Conductores aut procuratores eſſe ſecularium rerum, turpis verbi vel facti ioculatorem eſſe, vel iocum ſecularem diligere, aleas amare, ornamentum inconueniens propoſito ſuo quærere, in deliciis viuere velle, gulam

& ebrietatem ſequi, pondera iniuſta vel menſuras habere, negotium iniuſtum exercere.] Interjicitur parentheſis de iuſto negotio, tum ſubditur. [Canes & aues ſequi ad venandum, in omnibus quibuſlibet ſit cauſis, ſuperfluum eſſe. Ecce talia, & his ſimilia miniſtris altaris Domini, necnon & Monachis omninò interdicimus, de quibus dicit Apoſtolus, *nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus.*]

72. Hæc notio *negotiorum ſecularium*, non videtur ſatisfacere quoad rem præſentem. Quia quamuis quæ à Concilio recenſentur inter negotia ſecularia, verè ſint deuitanda ſacris hominibus, tamen non iis duntaxat, ſed omnibus etiam piis Chriſtianis declinanda ſunt, maxima ſaltem ex parte. Maxima item pars eorum quæ recenſita ſunt, procul abeſt à negotiatione, qua ſacris hominibus interdicitur, etiamſi non ſit iniuſta, nec ſecularibus vetetur. Nec aliter ſtatuerim de ea negotiorum ſecularium notione quæ traditur in adſcripta Melchiadi Papæ Epiſtola, cùm tamen alleget Nicænam Synodum quę poſt Melchiadem ſub Syluestro eſt habita. Baronius anno 312. n. 80. tribuit eam Iſidoro Mercatori. Sic porrò in ea epiſtola habetur. [Quæ ſint negotia ſecularia, Sancti Canones manifeſtant, & inhibent, dum perſpicuè docent, quod quidam qui in Clero videntur electi, propter lucra turpia, conductores alienarum poſſeſſionum fiant, & ſecularia negotia ſub cura ſua accipiant, Domini quidem miniſterium paruipendentes; per ſecularium verò domos, diſcurrentes, & propter auaritiam, patrimoniorum ſollicitudinem ſumentes. Decreuit namque ſupradicta S.Synodus, nullum deinceps Clericum aut poſſeſ-

possessiones conducere, aut negotiis secularibus se miscere, nisi propter curam pupillorum, & orphanorum, ac viduarum.] Hæc notio negotiorum secularium de quibus per Ecclesiasticos abjiciendis, agebat hic PseudoMelchiades, admodùm imperfecta est. Quare aliquid in eam rem aptius, restat inquirendum.

§. 5. *Extremarum sententiarum in binis superioribus disputationibus propositarum, Anacrisis vniuersè.*

73. IN vtraque disceptatione superiùs adducta, est quod approbari, & quod rejici debeat. Quare excerpemus ex vtraque primùm vniuersè hoc loco, tum in particulari quoad aliquas materias, quod circa proximè assignatas negotiationis formas, statuendum videtur.

Prima Propositio. Negotiatio non vetatur Religiosis, tanquam per se, & ex objecto, vel etiam ratione adiunctorum necessariorum, inexpurgabiliter mala.

Hoc sufficienter monstratum est §. 2. ratione 1. Nec est cur in eam sententiam, vel Patrum, vel Scholasticorum suffragia conquirantur, quæ ibi quantum necesse est, tacta fuerunt. Vnicus S. Augustini locus ex concio. 1. in Psalmum 70. erit instar omnium. Ibi tractans illud iuxta 70. *Quoniam non cognoui negotiationem*, inducit mercatorem Christianum pro negotiatione disserentem, & suboffensum; eo quod negasse videretur S. Augustinus, posse ne-

gotiatores ſaluos eſſe : Ex eius igitur perſona, ſic retundit S.Auguſtinus omnia , quæ poſſunt objici aduerſùs negotiationis honeſtatem , vndecũque aſpergere quis velit dedecore negotiationem : [Sed, ait mihi negotiator ; Ecce ego affero quidem ex longinquo merces , ad ea loca in quibus non ſunt ea quæ attulero ; vnde viuam , tanquam mercedem laboris mei , peto , vt cariùs vendam quàm emerim. Vnde enim viuam , cùm ſcriptum ſit , *dignus eſt operarius mercede ſua*? Sed agitur de mendacio, de periurio.Hoc vitium meum eſt,non negotiationis:Neque enim, non ſi vellem , poſſem agere ſine iſto vitio. Non ergo culpam autor ad negotium transfero, ſed ſi mentior,ego mentior, non négotium.Poſſem enim dicere; tantò emi, tantò vendam,ſi placet, eme?Non enim iſtam veritatem audiens emptor repelleretur , vt omnes potius accurrerent , quia plus fidem quàm mercedẽ diligerent.Hoc ergo,(inquit,) me mone ne mentiar, ne periurem, non vt abjiciam negotium vnde me tranſigo.Quo enim vocas,quando hinc reuocas ? Fortè ad artem aliquam ? Ero ſutor, calceamenta faciam hominibus,mendaces enim & ipſi non ſunt ? periuri & ipſi non ſunt? nónne locatis ab alio calceamentis , cum acceperint ab alio pretium , dimittunt quod faciebant , & ſuſcipiunt alteri facere, & fallunt eum cui promiſerant citò ſe facturos ? Nónne ſæpè dicunt hodiè facio , hodie impleo ? deinde iam ipſa futura,tantas fraudes non faciunt ? Faciunt iſta , & dicunt iſta : ſed ipſi mali ſunt , non ars quam profitentur. Omnes ergo artifices mali Deum non timentes, vel pro lucro,vel pro timore damni, aut egeſtatis mentiuntur , periurant, non eſt continua Dei laus in eis.Quomodò ergo me

reuocas

reuocas à negotiatione? An vt agricola ſim, & aduerſùs tonantem murmurem vt grandinem timens, ſortilegum conſulam, & quæram quid faciam contra cœlum? vt optem pauperibus famem, quo poſſim vendere quæ ſeruaui? ad hoc me adducis? ſed non ea faciunt, (inquis,) agricolæ boni: nec illa, negotiatores boni. Quid enim & filios etiam habere malum eſt, quia quando eis caput dolet, malæ & infideles matres ligaturas ſacrilegas quærunt. Iſta hominum peccata ſunt; poteſt hoc mihi dicere negotiator. Quære ergo Epiſcope quemadmodùm intelligas negotiationes quas legiſti in Pſalterio, ne fortè tu non intelligas, & me à negotiatione prohibeas. Mone ergo quemadmodùm viuam. Si benè, benè mihi erit: Vnum tamen ſcio, quia ſi malus fuero, non negotiatio mihi facit, ſed iniquitas mea.] Subiungit his ex mercatore auditis, S. Auguſtinus. [Quando verum dicitur, non eſt quod contradicatur.] Hoc eſt, rectè negotiator egit cauſam ſuam, negans illicitam per ſe eſſe negotiationem: quod ſi aliquæ abuſiones ei adiungantur, dimittendas & abjiciendas eſſe, ſalua negotiatione cui extrinſecùs, & ſolo negotiatoris vitio comitantur. Nec aliter de omni ferè arte & ſcientia eſt ſtatuendum: Nulla enim eſt tam illimis, & pura ex ſuo obiecto, & intrinſecis circumſtantiis, quin poſſit vitio artificis aut ſcientis dehoneſtari. Nemo tamen idcirco vitium perſonarum abutentium transfert ad improbationem ſcientiæ vel artis. Sicut Apoſtolus, negauit legem eſſe culpandam tanquam malam, tametſi homo pro ſua fragilitate & malitia abutatur legis notitia in ſuam perniciem. Generatim ergo indubitatum eſto, negotiationem non vetari ſacris homi-

nibus, vt ex obiecto aut per ſe malam.

II. Propoſitio. Negotiatio ſimplex ſeu latiſſimè dicta, quæ in trimembri negotiationis diuiſione primum locum occupabat, non vetatur ſacris hominibus; hoc eſt Religioſis, aut Clericis.

74. Hoc eſt extra dubium: quia mercari pro ſe, aut vendere ſua ſuperflua, non vetatur ſacris perſonis: At hæc eſt notio ſimplicis illius ac latiſſimè dictæ negotiationis, qualiſcunque tandem ſit negotiatio. Pleraque in hanc rem prolata ſunt §.2. ratione 3. & 5. & manifeſta ratio ſuffragatur. Quomodò enim exigere vitam poſſent ſacræ perſonæ, niſi emerent quæ ſunt ad vitam neceſſaria? Aut quomodò plerumque ſuppeteret vnde neceſſaria emerent, niſi venderentur aliqua vel ſuperflua, vel minùs neceſſaria, quàm quæ iis diuenditis comparanda proponuntur? Inconſultè item ſinenda eſſent perire aliqua, aliis vtiliter ceſſura: vel certè eroganda eſſent planè liberaliter, non ſine cœnobij damno, ſi vendi & huic qualicunque negotiationi ſubjici per Religioſos non poſſent, quod ſtatim apparet abſurdum; niſi ſicubi ſpecialia ſtatuta vel indecentia obſtent tali venditioni.

75. Primum addo, quia nonnulla inſtituta Religioſa, amore arctioris paupertatis, etiamſi concedunt ſuis habere prædiola, vel hortos ad fouendam valetudinem, fasque ſit Religioſis inde ſibi quæ ad ſuſtentationem commodant ſublegere, iubent tamen vt quicquid ex fundis illis vltra immediatum vſum colligitur, abſque venditione diſtrahatur. Sic Suares To.4. De Relig. Tract. vlt. l.4. c.9. n.12. & Sanches l.7. in Decalogum, c.27. n.4. Monſtrāt, domibus profeſſis Societatis Ieſu, ex peculiari inſtituti illius

iure,

iure, vetari venditionem fructuum collectorum è possessiunculis quas habere sinuntur. Interdici enim ea venditione necesse fuit, vt excluderentur certi reditus. Qui verò Religiosi, nullo suo priuato iure vetantur fructus fundorum suorum vendere, non tenentur illos liberaliter erogare, sed possunt tanquam sibi superfluos, aut minùs necessarios, accepto conuenienti pretio distrahere, sicut alia quæcunque superflua.

Addebam secundò, indecentiam quandoque obstare venditioni superfluorum. Exemplum succurrit nuperrimè suggestum, cœnobij cuiusdam Monialium, è quarum domestico horto, lecti per Moniales, & in serta contexti flores, venduntur ad ædificandum stuporem secularium Domicellarum. Videtur hæc venditio dedecere personas Religiosas. Hæc enim superflua, quorum quantitas vsui altarium, & valetudinarij admetienda fuisset, si prætereà abundent, nullum cœnobium me autore ad vsum secularis vanitatis diuendet. Et suffragabitur, quisquis Patrum in huiusmodi florea serta conclamationes recoluerit. Videsis Tertullianum de Coro. Mil. c.15. & Clementem Alexandrinum 2. Pædag. c.8. & quæ de viro Apostolico F. Ioanne Ord. Præd. scribit Cantipr. l.2. Apum. c.1. num.8. Tametsi enim omnia quæ apud istos leguntur, spectant ad coronas è floribus morituris, quas negant capitibus membrorum capitis spinis coronati congruere; tamen propè omnia accommodari possunt ad quæuis florea serta, quæ proinde ad fœmineæ vanitatis vsum suppeditari pretio à Parthenonibus, indecentissimum videtur. Cùm igitur nec ius speciale instituti, nec vlla extrinseca dedecentia vetat, fas est Religiosis superflua vendere.

76. Nec tantum fas est Religiosis vendere sua superflua, aut minùs necessaria è fundis suis lecta, sed etiam quæ iam in vsum suum absque animo reuendendi comparauerint, possunt vendere, si contingat agnosci eorum inutilitatem, vel alia vendendi causa interueniat. Talia quippè eo ipso sunt superflua; vnde sine noxa vendi à Religiosis possunt, & quidem non modò eodem pretio quo fuerant coëmpta, sed etiam cariùs, & cum aliqua lucri accessione, etiamsi res sint planè eædem, nec vllatenus artificio vendentium sint immutatæ. Ita Abul. in c.25. Matth. q.224. Sa V. *Clericus* num.20. Rebellus 2. p. lib.9. quæst. vlt. n.2. & Molina Tract.2. de Iustit. d. 342. concl.2. consequenter inferens, astipulante Gutierre Tract. de Gabellis q.93. n.16. & 17. cum Syluestro, Nauarro & Lassarte, ex ea venditione nullum deberi tributum, vbi venditiones tributo grauantur. Cùm enim hæc non sit negotiatio Religiosis vetita, salua manet, eam exercentibus sacris personis, sua immunitas. Poterit autem in hoc euentu, abesse iniustitia ab augmento pretij, ob mutationem aliquam circumstantiarum, de qua rectè Abul. in c.25. Matth. q.223. *ad* 2. Estque ea etiam causa germana, cur Mercatores possint cariùs vendere. Quod enim rectè monstrat Soto l.6. De Iust. q.2. art.2. concl.4. Iustus titulus vendendi cariùs, non est fundandus in persona vendente præcisè spectata; quasi mercator, quia mercaturam agit, possit cariùs vendere, quàm alij qui mercatores non sunt, si contingat vt idem vendant: sed titulus vendendi cariùs, quicunque demum sit venditor, fundandus est in mutatione circumstantiarum, penes quas iustum pretium variari & crescere potest.

77. Sed

77. Sed quid si Religiosi, aliqua ipsis non superflua, & quæ alioqui retinerent, statuant vendere, quia offertur lucrum, séque dat occasio merces vili pretio absque reuendendi animo comparatas, iterùm vendendi longè cariùs, ob circumstantiarum mutationem? Admitto cum Syluestro V. *excommunicatio* 9.n.46. & Ioanne Gutierres Tract.de Gabellis q.95.n.23. hanc quoque negotiationem posse per Religiosos exerceri, absque noxa, quia cùm merces sunt coemptę, aberat animus eas iteratò vendendi, qui animus est veluti forma negotiationis sacris personis illicitæ; eo quòd sit illi indissociabiliter annexa cupiditatis irritatio, & effusio in res externas, aduehátque varia incommoda, ob quæ talis negotiatio dedecet statum huiusmodi personarum. At venditio, quæ fit occasione lucri animo non præconcepti, cum facta est emptio, vel vacat iis incommodis, vel saltem multò minus illis grauatur. Nec censeo abhorrere ab hac doctrina, benè multos recentiores, quos adducit & sequitur Diana parte 1. Tract.1. resol.27. affirmantes negotiationem illam vetari sacris personis, & habere annexum tributi debitum (si à secularibus ea ex causa pendatur,) in qua lucrum intenditur ex emptione priùs facta. Id enim, vt verum sit, accipiendum est de emptione priùs facta animo reuendendi, quem animum à Religiosis exclusimus. Quo eodem sensu accipiendus est Canon 2. Concilij Tarraconensis sub Hormisda anno 517. celebrati, qui sic habet. [Sicut Canonum statutis firmatum est, quicunque in Clero esse voluerit, emendi viliùs, vel vendendi cariùs studio non vtatur. Certè si voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.]

III. Propositio. Negotiatio pressè dicta, cui in trimembri negotiationis diuisione, secunda sedes est data, (qua scilicet, merces coemptæ animo eas reuendendi, eædem & nullatenùs mutatæ reuenduntur lucri causa,) abhorret à statu Religioso estque Religiosis planè illicita, nisi si aliquando, ob grauem necessitatem, vel certè per alium, vt principalem causam exerceatur.

78. Notionem pressè dictæ negotiationis sacris personis vetitæ, quam proposui, ex plerisque Iurisperitis confirmat Straccha in opere de mercat. parte 1. n. 25. Vetari autem Religiosis hanc negotiationem, agnoscunt sine controuersia DD. omnes. Ita enim ex Theologis S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 4. Molina Tract. 2. de Iust. disp. 339. Rebellus 2. p. q. vltima, sect. 1. Toletus l. De Peccat. mort. c. 53. Salas Tract. De empt. & vend. dub. 2. Roder. Tomo 3. qq. Regul. q. 74. art. 8. Consentiunt Iurisperiti ad dist. 88. c *fornicari*, & Panormit. ac Imola ad cap. vlt. de vita & honest. Cler. Prosper ab Augustino. V. *Vectigal §. tertiò quatenus*. Comitolus l. 1. Resp. q. 53. n. 1. Gutierres Tract. de Gabellis q. 93. n. 16. & 47.

Huc pertinent propè omnia quæ §. 3. ex Patribus & ex ratione multiplici sunt adducta contra negotiationes. In nullam enim negotiationem cadere aptiùs possunt, quàm in istam quæ est pressissimè dicta negotiatio. Expressissimè verò hanc negotiationem fecit Autor Imperfecti, in Matth. hom. 38. Estque eius disputatio admittenda, si ad sacras personas restringatur, nec extendatur ad omnes Christianos, vt videri posset extensa ab illo Autore; qui eatenus non esset audiendus, cùm negotiatio nullo iure secularibus vetetur, vt monstratum est §. 2. ratione 1.

ne 1. At restringendo eius orationem ad personas sacras, verissimè dicit, ejiciendum esse ex Ecclesia, id est ex Ecclesiastico gradu ac cœtu, qui negotiationem, de qua agimus, exercere in animum induxerit, cum planè abhorreat ab instituto vitæ, cui propter Deum se illigauit. Demonstrare id possumus, cum ratione, è signis ac tesseris huius status petita, tum ratione fundata in eius natura. Signa & tesseras Religiosi status appello, rasuram capitis & habitum religiosum, quibus à secularibus discriminantur Religiosi

79. Et rasuræ quidem ritus, antiquissimus est, vt Bellarminus l. De Monach. c. 40. ostendit: nisi quod olim tam Clerici quàm Monachi radebant capita in coronam, per totum ferè caput protensam, qualis nunc est puerorum vocalium symphoniacorum, vt notat Valdensis Tomo De sacram. Tit. 9. c. 89. & Simondus ad l. 6. Sidonij. Epist. 3. Ex quinque porrò illius Rasuræ causis, quas Renatus la Barre ad calcem libri Tertulliani de corona militis, & Prosper Stellartius, in opere de coronis & rasuris, ex variis colligunt; (nonnulli enim ad memoriam spineæ Christi coronæ, vt Ceolfredus Abbas apud Bedam, l. 5. hist. Anglo. c. 22. alij ad Beati Petri Apostolorum principis, quem ea ratione ab Ethnicis in odium fidei dehonestatum dicunt, imitationem; alij ad regiam dignitatem Deo dicatorum hominum; alij ad circularem figuram, quæ est symbolum perfectionis hunc ritum referunt:) quinta, & optima est, quæ huc pertinet: Nimirum eam rasuram, vt habetur ex D. Hieronymo cap. *duo sunt* 12. q. 1. docere personas sacras, sed maximè Religiosos, omnem negotiorum secularium curam desecare, vt soli Deo ani-

mum applicent. Potéstque huc facilè reuocari alia elegans ratio huius rasuræ tradita à Petro Nannio in notis ad epistolam 35. S.Ambrosij; nempe quòd Monachi rasa habeant capita, vt se agnoscant libertos Christi; Nam olim manumissorum capita radebantur, vnde illud Plauti, [Quid superest nisi vt raso capite accipiam pileum?] Et apud eundem in Amphitr. act.1. sce.1. [Quòd ille faciat Iupiter, vt ego hodie rasus capite, caluus capiam pileum?] Ex Plutarcho in Flaminio, & Agellio l.7.c.4. Id illustrat Bisciola Tomo sub seciu.l.5.c.6. Multa in eam rem Erasmus Chil.2. Centur.1. n.27. Et è contrario qui seruile quiddam in moribus habent, dicebantur à Romanis, seruiles pilos retinere. Apud Iudæos quoque Deuter.21. captiua exuta vestimentis captiuitatis, radebatur vt libera fieret. Ex hoc ergo more factum censet Nannius, vt homines Deo consecrati radant capita, quò se à Deo manumissos in libertatem filiorum Dei, nec vltra distinendos seruilibus sæculi occupationibus agnoscerent. Sic vides, rationem quintam huius rasuræ ex S.Hieronymo propositam, recidere in istam, & commendare sacris personis, vt abiectis seculi curis vacent soli Deo, idque sit solum & vnicum eorum negotium: quod de negotiatore dici non potest.

80. Præclarè hanc rasuræ sacræ causam aperuit his verbis Iuo sermone De sacrorum Ordinum Excellentia, postquam præmisit sacros homines [huius vitæ necessaria accipere debere, de oblationibus, vel de opere manuū, vel de aliis innocentibus artibus, non autem de vsuris, vel de turpibus lucris, vel de negotiationibus, aut aliis illicitis artibus;] nempe non absolutè illicitis, sed respectu talium personarum,

rum, pro quibus æquiparat illas alias artes & negotiationem, vt monstrat vox illa *aliis*. Sic igitur ibi-
luo de rasura. [Si paupertatem & humilitatem, quam præfert habitus corporis & figura capitis, in corde non habetis, timeo ne cum hypocritis sit pars vestra, & spes vestra ab æterna mercede sit vacua, qui non vt Clerici, sed vt Acephali, in clericali militia, sola quæritis lucra temporalia. Ad hoc enim capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, vt & regnum spirituale, quo cæteris præminetis, tali figura ostendatis, & curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes abraditis de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis, vt aures, oculos, & alios sensus capitis liberos reddant, & curam exteriorum non in superfluis desideriis carnis, sed in necessariis tantùm exercendam agnoscant.] Atque adeò non in negotiationibus, quas non pertinere ad necessaria sacris hominibus concessa præmiserat. Quo facilè accommodari potest illa huius rasuræ ratio, quæ ex refectione capillorum, olim in mari per tempus procellæ fieri solita, peti potest. Videsis de eo prisco vsu, Fernandium à Corduba in multiplici Didascalia c.22. Similiter enim Religiosi, fugientes à Pusillanimitate spiritus, & tempestate, elongarunt fugientes, & in solitudinem tanquam in portum se receperunt, dimissis in seculi mari procellis negotiorum, turbinibus curarum secularium. Videbor transiisse à rasura, de qua agere cœperam ad tonsuram, qualis re vera erat hæc capillorum resectio in procella. Sed hoc ad rem præsentem perinde est, passimque veteres, Monachos *tonsos* nominant. Quod

enim ex Clemente Alexandrino 3.Pædag.c.11.& ex Optato l.2.contra Parmenianum mõſtrat Bellarminus lib.6. De Monach.c.40. Clerici & Monachi olim, tametſi radi dicebantur, quia demiſſè tondebãtur, tamẽ re vera tondebantur tantùm: vndè *detonſus* ἀποτειξάμενος, pro Monacho, crebrum eſt apud Veteres, vt notauit Alemannius ad hiſtoriam arcanam Procopij: benéque confirmatur, ex eo quod S.Auguſtinus, Monachos comatos atque crinitos, non attonſos cæterorum more, habet pro monſtris, quales illi Apoſtatæ apud S.Nicephorum Conſtantinopolitanum in hiſtoria De Monachis naufragis, quos gemit Religioſo cultu depoſito, ex attonſis in comatos fuiſſe mutatos, & ad Laicorum ſpeciem traductos.

81. Quod ſi placeat, illam huius ſiue raſuræ ſiue tonſuræ cauſam probare, quæ petitur ex more antiquo aſciſcendi aliquem in ſeruum aut filium, æquè habebimus intentum. Nam filium ſpecialem Dei, in iis quæ tanti Patris ſunt, non in extraneis negotiis par eſt eſſe. Seruum item Dei, ſeruire Deo, non curis ſeculi addici, & negotiationibus implicari, eſt omnino conſentaneum. Capillorum porrò diſſectione, fieri aliquem alterius filium, monſtrat Pithœus l.1. Aduerſ.c.1. ex Paulo Diacono l.6. De geſtis Longobard.c.53. qui teſtatur, Carolum Francum miſiſſe filium ſuum ad Regem Longobardorum, vt ei pater fieret inciſione comæ, quod & præſtitit. Sed & Anaſtaſius iñ Benedicto. 2. ſcribit eum accepiſſe mallones, ſiue cirros capillorum Iuſtiniani & Heraclij filiorum Conſtantini Pogonati Imperatoris, qui vt à ſe genitos, Romani Pontificis peculiares filios faceret, eorum capillitium, ſiue quod nomen

mallonum

mallonum propriè ſonat, *vellus* capitis, obtulit Chriſti Vicario, ſucceſſori B. Petri. Ex qua item fide, Rex Bulgarorum, vt ſcribit Anaſtaſius in præfatione ad octauam Synodum, vt ſuum erga Romanum Pontificem ſeruitium teſtaretur, coram omnibus capillos ſuos apprehendens, abſciſſos tradidit legatis Romanis, hæc verba præfatus. [Omnes Primates, & cuncti populi terræ Bulgarorum, cognoſcant, ab hodierno die me ſeruum fore poſt Deum B. Petri, & eius Vicarij.] Ex tam multis tonſuræ ſiue raſuræ Monaſticæ cauſis hactenus expenſis, conſtat mercaturam & negotiationem procul eſſe debere à Monachis, & quibuſuis Religioſis, qui hæc ſuperflua à ſe propter Deum amouerunt.

82. Occurrit porrò eiuſdem ſacri ritus alia ratio minùs vulgaris quam nolo prætermiſſam, quia & ipſa optimè euincit debitam Religioſi abiunctionem à negotiatione de qua agimus. Nimirum olim à morituris, non modò omnia ornamenta & honoris inſignia remouebantur, ne illo habitu excederent, ſed etiam honor capitis ſiue capillitium tollebatur. Sic enim apud Statium l. 7. Amphiaraus mox abſorbendus, capitis comam, coronamque & alia ornamenta deponit, dicens,

Accipe commiſſum capiti decus, accipe laurus,
Quas Erebo deferre nefas.

Phœdra item, iam iam occubitura ſuamet manu apud Senecam act. 5. Hyppoliti

Placemus vmbras, capitis exuuias cape,
Laceræque frontis accipe abſciſſam comam.

Plura in eam rem Pineda in c. 1. Iobi verſu 20. n. 14. Poſſit ergo quis haud immeritò reſectum Religioſis capillum, ad eorum mortem referre, præſertim vbi

tonfura fiebat σαυρωειδῶς, id eſt in crucis modum, quam fuiſſe Græcorum tondendi rationem habetur ex eorum Euchologio cùm proponitur ratio veſtiēdi Monachum. Quanquam apud S.Dionyſium c.6. Eccleſ. Hierar. tantùm habetur, Monachum forma crucis ſignatum, tonderi, quæ verba inſinuant præmiſſa impreſſione ſigni crucis, ſubſecutam fuiſſe capillitij remotionem ſiue tonſuram. Vt vt ſit, ſi tonſura vel raſura Monachi ad eius mortem referatur, facile eſt in rem noſtram argumentari ex eo ritu: Neque enim mortui eſt negotiari, aut agitare vlla ſecularia negotia vel mercimonia; ſed eius omnia ſtudia & cogitationes conſecrari Deo debent. Quo haud inuitus retulerim alium affinem ritum antiquum, quo capilli Monacho reſecti, conſecrabantur. Ita habetur ex Regula S.Aureliani c.4. verbis illis. [Si quis Laicus tonſurandus eſt, de capillis illius in confeſſione mittatur, vt ei in teſtimonium ſit.] Hoc eſt, vt id ſit monumentum ac ſymbolum conſecrationis qua ſe Deo addixit. Confeſſionem porrò in eo textu S.Aureliani, accipere neceſſe eſt pro loco in quo conditum iacebat alicuius Martyris corpus; quod intelligo non tantùm de communi loco ſiue ſacello in quo ſancti corpus iacet, ſed etiam de loco proprio, putà capſella qua reliquiæ concludebantur; Nam eam quoque aliquando *Confeſſionis* nomine donatam legimus, vt apud Anaſtaſium in Hilaro, cùm ait eum Pontificem conſtruxiſſe ex argento Confeſſionem S.Ioannis Baptiſtæ, penſantem libras centum; quod nemo de templo vel de ſacello accipiat, ſed de capſella tantùm ſeu tabernaculo. In tali ergo Confeſſione, includebatur coma & barba reſecta. Quod præter contextum

ex S.

ex S. Aureliano prolatum, confirmatur ex Actis S. Gulielmi Gellonensis, vbi de eo sacra veste religiosa amicto, dicitur, comam nobilem & barbam venerabilem depositam esse, & Deo consecratam ad modum prædictum. Itaque curas in Dei gratiam depositas, & quasi sanctificatas illatione in tabernaculum, profanare, & in mercimonia ac quæstus seculares educere, probrosum ac indignum videri debet.

83. Simile nec minùs efficax in rem nostram argumentum duci potest ex habitu antiquo Religiosorum, qui præter cætera colobio continebatur. Est autem colobium, tunica absque manicis. Nam quamuis postea colobium transierit in Dalmaticam iubente S. Syluestro, vt Onuphinus libello de Explicatione vocum Ecclesiasticarum annotauit: Tamen initio colobium illis quoque manicarum inchoamentis carebat, vt liquet ex multis veterum Scriptorum locis quæ addensat Bulengerus l. de Veste sacra c. 22. sic enim Ammianus l. 14. colobium vocat, tunicam pectoralem sine manicis. Photius tunicam mutilam κολλοβόχειρον appellauit, *pag.* 561. Nostri quoque eiusmodi tunicarum non manuleatarum descriptioni astipulantur, nominatim Dorotheus ac Cassianus mox adducendi. Itémque Honorius in Gemma animæ l. 1. cap. 211. Eam itaque Monachorum vestem truncam, & absque manicis, haud absurdè quis retulerit ad similitudinarium Religiosæ vitæ martyrium. Nam etiam ex vsu antiquissimo, firmato per Eutychianum Papam apud Anastasium *in Eutychiano*, grauiter cautum erat, ne quis martyrem absque colobio purpura prætexto sepeliret. Cùm ergo Religiosorum vita, sic iuge martyrium, de quo

ſcitè Damaſc.4. fid. c.16. Pet. Bleſ. ſerm.de S Lucia, & ſerm. de S.Vincentio, & Photius apud Anonymum Cluniaci Scholiaſten gradu 4.ſcholio 1. meritò Religioſi *viui Martyres*, vt loquitur Abbas Piamon. Collat.18. c.7. etiam in vita, veſte martyrum defunctorum propria induuntur, nec abſque prætexta purpura, vt S.Dorotheus Doctrina 1. obſeruat: id tamen referens, ad deſignandum quod Religioſi ſint Domeſtici Imperatoris, ad quem per ſe primò ſpectat purpura. Non refugio ego quidem has colobij Religioſorum interpretationes; adiungendam tamen cenſeo aliam, (ſi tamen aliam,) quæ eſt Caſſiani l.1. c.5. affirmantis abſciſſionem illam manicarum, referri ad ſignificandum amputari debere à Religioſo omnem operum ac negotiorum ſeculi ſollicitudinem, cùm Religioſus ſit ſeculo mortuus ac Chriſto confixus vi inſtituti ſui:proindéque non debeat cogitare niſi quæ ſunt Domini, cuius domeſticus eſt effectus, & cui ſe per crucem voluntariam mancipauit. Hoc, negotiatorem ſeculi curis immerſum præſtare non poſſe, nemo non videt. Alieniſſima eſt igitur à Religioſo inſtituto negotiatio, vt monſtrat raſura & habitus Religioſi; quibus inſpectis non minùs poſſit rubore ſuffundi Religioſus negotians, quàm olim Tertullianus, Chriſtianum pallij contuitu commoueri, & ad officium reuocari muta adhortatione cenſuerit. Subjicienda, vel potiùs euoluenda & diſtinctiùs exprimenda ſequitur, iam tacta in prædictis ratio eiuſdem veritatis, petita ex natura ſtatus religioſi, qui totus eò colliniat, vt hominem à peccati occaſionibus auerſum,aptet ad vnionem familiaritatémque cum Deo, per remotionem turbarum ac tumultuum animi à

quibus

quibus Deus refugit, quia non in commotione Dominus. Cum vtroque autem illo religiosi status officio pugnat apertè negotiatio. Nam euidentissimum est, beneque §.3. monstratum, Negotiatorem facillimè declinare in obligationes, & pedicis peccatorum irretiri Vix enim plus potest se à peccatis nitentem præstare, quàm is qui reptans manibus ac pedibus, cœnosam viam premit, vt ait Theotimus apud Damascenum 3. Parall. c.74. Et vt est apud S. Augustinum homil.50. c.6. secularibus distenti negotiis, [tam multa peccant, vt non tam de istius mundi puluere aspergi, quàm luto obliniri videantur.] Et præmiserat, id contingere, propter ipsum puluerem mundi huius, qui per itinera consulendi, consulentium pedibus adhærescit, & propter damna quæ in ipsa negotiosissima dispensationis actione contingunt.] De fœdatione per negotia secularia, videndus Pet.Damiani l.1. episto.15.

84. Quod verò attinet ad tumultum, quem dicebam inferri animo per hanc negotiationem, res est perspicua, si agatur de illatione tumultus, & mentis distractione ac exterminio sancti illius otij, quod magnum habet negotium, vt dixit S.August. Epist. 110. Id est, quo vacatur Deo. Pro qualitate enim occupationum, simus idonei vt cum Deo agamus, vel inepti ad sanctam cum eo familiaritatem; ita vt cum otium omnimodum in tam irrequieta animi nostri mobilitate, sit prorsus impossibile, semperque aliquid ex necessitate sit animo reuoluendum, tamen à nostro studio per Dei gratiam adiuto, & à nostris occupationibus pendet, vt cum ad orandum & agendum cum Deo accingimur, Eas vel illas cogitationes habeamus. Diuinè id expressit his verbis Abbas

Isaaco Collat. 9. c. 5. [vt qualitas animæ, non ineptè subtilissimæ plumæ seu pennæ leuissimæ comparatur, quæ si humoris cuiuspiam accidentis extrinsecùs corruptione vitiata non fuerit, vel infusa, mobilitate substantiæ suæ tenuissimi spiritus adjumento, velut naturaliter ad sublimia cœlestiaque sustollitur; sin verò humoris cuiuspiam aspergine, vel infusione fuerit prægrauata, non modò in nullos aëreos volatus naturali mobilitate raptabitur, sed etiam ad ima terræ concepti humoris pondere deprimetur: ita mens quoque nostra, si accedentibus vitiis curisque mundanis aggrauata non fuerit, noxiæve libidinis humore corrupta, vel naturali puritatis suæ beneficio subleuata, leuissimo spiritalis meditationis afflatu sublimabitur ad superna, & humilia deserens, atque terrena, ad cœlestia & inuisibilia transferetur. Vnde propriè satis præceptis dominicis admonemur; *videte ne quando grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis secularibus.*]

Abbas item Moses Collat. 1. c. 18. sic habet. [Exercitium cordis non incongruè molarum similitudini comparatur, quas meatus aquarum præceps, impetu rorante prouoluit. Quæ nullatenus quidem cessare possunt ab opere suo aquarum impulsibus circumactæ; in eius verò qui præest situm est potestate, vtrum an triticum malit, an hordeum, loliúmve comminui. Illud quippè est procul dubio commolendum, quod ingestum ab illo fuerit, cui operis illius cura commissa est. Ita igitur etiam mens, per vitæ præsentis incursus, vndique ingruentibus tentationum torrentibus circumacta, vacua quidem cogitationum æstibus esse non poterit; quales verò

vel

vel admittere, vel parare sibi debeat studij ac diligentiæ suæ prouidebit industria. Si enim (vt diximus) ad sanctarum scripturarum meditationem iugiter recurramus, ac memoriam nostram ad recordationem spiritualium rerum, & desiderium perfectionis, spémque futuræ beatitudinis erigamus, necesse est, vt ortæ cogitationes exinde spiritales in his quæ meditati sumus mentem faciant immorari: sin verò desidia seu negligentia superati, vitiis & otiosis confabulationibus occupemur, seu curis mundanis, & superfluis sollicitudinibus implicemur, consequenter exinde quædam zizaniorum species generata, operationem quoque nostro cordi noxiam ministrabit: & secundùm sententiam Domini Saluatoris, *vbi fuerit thesaurus* operum seu contentionis nostræ, *ibi & cor nostrum* necessariò *permanebit.*] Affinia sunt quæ ex S. Anselmo adducit Edinerus l.2. § *Venit.*

85. Otium ergo sanctum & adipale, quod discusso furfure terrenorum negotiorum, animam sanctis cogitationibus tanquam probata farina infierciat, adamandum est sacris personis, tanquam illis congruentissimum, & planè necessarium ad functiones status ipsorum. Quod vel nomen, quo ritu Ecclesiastico dies denominantur, satis docet. Denominantur enim *feriæ*; quem vsum apud seculares quoque, atque adeò vniuersaliter induci, optabat S. Augustinus ad titulum Psalmi 93. abolito nefario vsu (si radicem spectemus,) quo luces nominibus tenebrarum appellantur, vt scitè dixit Eucher homil. 11. de Pasch. notans inuectum vsum à falsis nominibus denominandi dies, vt nunquam falsorum Deorum nomina, ab ore mortalium exularent. Et

olim quidem simpliciter denominabantur *dies primus, secundus, tertius*, & ita consequenter, vt significat S.Chrysostomus l. 1. De Compunct. cordis *sub medium*; postea tamen subiit corruptela, quam Ecclesia quoad vsum suum abolitam voluit; denominans *ferias*, vt significaret sacris hominibus, esse quotidie feriandum, & indulgendum sancto otio, dummodò non marceat. In quam rem est elegans S. Augustini Epistola ad Eudoxium Abbatem & Monachos Insulæ Caprariæ. Est 81. Nec ratio est obscura. Nullis autem sacris hominibus pretiosius esse debet hoc otium, quàm Religiosis. [Est enim, (inquit Synesius Epist.99.) maximum bonum quod opimi instar & vberis soli, omnia bonorum genera in Philosophi animo producere, dici non immeritò potest.] Synesio alibi, & passim Nazianzeno, atque Chrysostomo, *Philosophus* idem est ac *Religiosus*, quod Ioannes Sarisberiensis l.7. Polycrat.c.21. *sub finem*, pulchrè confirmat. Christiani ergo Philosophi seu Religiosi, sanctum otium, quod Guillelmus Abbas ad fratres de Monte Dei vocat *negotium negotiorum*, exterminatur per curas seculares Christo ipsô Iudice, Lucæ 21. Vnde Cassianus Collat.9. c.4. veluti monstrosum ducit, quod aliqui Religiosi, curis illis velut innoxiis nec se dedecentibus, implicari sustineant.

86. Non ita boni & pij Religiosi, quorum aliqui à negotiis secularibus ob sancti otij per ea profligationem, adeò abhorruisse leguntur; vt etiam graui imperio adigendi essent ad curam bonorum temporalium cœnobij: eò quod ei curæ adiungantur plerumque lites & alia, quibuscum pax animi, & sancta tranquillitas Religiosæ vitæ optabilissima ægrè cohæret.

cohæret. Vnum quendam in feculari vita talibus olim diftentum curis pro bonis fuis, poftea verò in Monafterio iuſſu Abbatis eifdem implicitum, admodùm ea ex caufa anxium ne in portu naufragaret, folatus eft S.Anfelmus longa & egregia allocutione, quam defcripfit Edinerus l.2. Vitæ S.Antiftitis §.*venit ad eum*. Summa eft, nihil ea ex caufa timendum fuiſſe homini ad eas Ecclefiafticas curas adacto, & propter Deum & cœnobij bonum, difpofitione & tuitione villarum monafterij implicito. Deus enim, quod videtur fancto otio decedere per eas curas non vltrò fufceptas, nec clam fuppofitis, & per munera ad fuffragandum inefcatis adiutoribus extortas; (vt facere aliquos Monachorum propofito, & finibus excedentes ibidem dicitur,) compenfabit internis afflatibus, quibus boni Religiofi animum tranquillabit, facto fluftro in media agitatione, & otio mentis in quantauis agitatione externa feruato. Vel ipfa tamen trepidatio proborum Religioforum, ne prorfus neceſſaria in Dei res Cœnobio adfcriptas cura, animos eorum à fancto otio auerteret, monftrat quanti apud illos eſſet fanctum hoc otium, & quàm refugerent fuperuacaneis, ac alienis ab inftituto negotiis implicari cum fancti illius otij difpendio. Idem multò magis monftrant, qui etiam quotidianam cum fratribus conuerfationem, & communem vitam cœnobij cum aliqua fpiritus diffipatione femper coniunctam, ftatis temporibus refugiunt, [fe per multos dies (inquit S.Auguftinus l.De opere Monacho. c.23.) à confpectu hominum feparatos, & nulli ad fe præbentes acceſſum includunt, viuentes in magna intentione orationum, qui facillima atque viliſſima fecum alimenta includere

censuerunt, quæ in illos dies, quibus à nullo videri statuerunt, sufficiant.] De horum consilio,& incenso amore reparandæ indiuisionis spiritus, si quo modo per conuersationem cum aliis, tametsi piis ac religiosis, (tamen hominibus,) immutata esset, sic sensum suum subjicit S. Augustinus. [Horum exercitationem in tam mirabili continentia, quandoquidem habent otium quo hæc agant, séque incitandos non superba elatione, sed misericordi sanctitate proponunt; non solùm non reprehendo, sed quantum dignum est, laudare non possum.-] Hi igitur & alij, qui à domestica sub Abbate præpositura siue œconomata Monasterij, metu effusionis animi abhorrere, vt Rodolphus ille apud S. Anselmum l. 1. Epist. 2. Exemplo suo abundè firmant, quantum sit dum in hoc corpore sumus, dissipationis & effusionis animi periculum, quàmque pro ea euitanda sit satagendum; nec sapere eos qui à Satana implanati, extraneas & secularium proprias negotiationes capessunt. Nam quantum per eas negotiationes effunduntur ad externa, tantum à Deo elongantur, quod perpulchrè monstrari potest exemplo S. Dorothei doct. 6. n. 16. Vult enim statui circulum quem mundo vniuerso confert, eius verò centrum componit cum Deo, sicut ergo quo intimiùs peruaditur à circulo ad centrum relictis externis, eò propinquiùs ad centrum acceditur; quò autem magis ab interioribus receditur, & ad externa fit diffusio, eò magis fit elongatio à centro: Ita quò magis viri Religiosi ab externis negotiis, & curis secularibus secedunt, eo magis accedunt ad Deum: recedunt autem tantò magis à Deo, quantò magis diffunduntur ad externa, quod maximè faciunt, qui negotiatio-

tiationibus se implicant.

87. Et miramur, tantum Religiosæ vitæ impedimentum, sacris Canonibus grauiter feriri? Gelasius sanè capite *consequens*, dist.88. suspensione mulctat Clericos negotiationibus implicitis. At caput *secundùm instituta* 2. Extra de Cler. vel Mon. intorquet anathema in Clericos & Monachos lucri causa negotiantes. Iidem Clement.1. De vita & hon. Cleric. c.fin. spoliantur priuilegio clericali, si præmissa triplici monitione per dies aliquot interplatè adhibita, (vna enim pro tribus non sufficeret, vt cum aliis ait Diana 3.p. tract.1. resol.4.) non abstinuerint à negotiatione. Multos & Summistas & Iurisperitos in eam rem laudat Comitolus 1. respons. q.53. n.3. & Suares t.5. 3.p. d.22. sect.1. num.16. addens num.17. contra Nauarrum in summa c.27.n.80. & multos Iurisperitos apud Straccham in opere De Mercat. p.3.n.8.& 9. eam priuilegij clericalis remotionem non esse priuilegij Canonis aut fori, sed solius immunitatis à tributis & exactionibus, quia non plus fert textus allegatus, nec plus à Pontifice postulatum fuerat. Subscribunt Mol. Tract.2. De Iust.disp.342. Rebel. 2.p.l.9. quæst.vlt.sect.2. Comitol.l.1. resp. quæst.53. n.4. & Salas Tract. De Empt. & vend.dub.3. num.4. Ad amissionem tamen illius immunitatis per Clericum negotiatorem, nullam requiri monitionem, latè cum multis asserit Gutierres, Tract.de Gabellis, q.93. à n.7. Religiosos porrò negotiantes, adhuc grauiùs quàm Clericos esse puniendos, (comprehensis inter Religiosos, etiam iis qui *conuersi* dicuntur, vt notat Syluester V. *Clericus* 3. q.3. & Reginal. l.25. n.325.) habetur cap. *sed nec*. Extra, *Ne Cler. vel Monach.* Hæ pœnæ quod

longo situ quasi emarcuisse, & euiguisse viderentur, innouatæ sunt in Tridentino sess. 22. c.2. De Reform.

88. Et non sunt quidem sententiæ latæ, sed tantùm ferendæ, nisi post monitiones desistatur. Item non feriunt quidem Clericos in minoribus constitutos, si careant beneficio; neque constitutos in sacris vel beneficiarios, si semel aut iterum sic impingant, quæ omnia habentur ex textibus allegatis, suntque ferè recepta apud DD. Tamen in omnes Religiosos cadunt, & tam quoad illos quàm quoad alios quoscunque, in quos vibrantur, suppeditant manifestum argumentum peccati mortalis incurrendi per frequentem violationem post præmissam monitionem. Negat tam grauem obligationem Caietanus in summa, V. *Clericus.* Sed eam meritò agnoscunt, Molina Tractatu secundo de Iust. d.342. Less. libro De Iust. c.21. numero 4. Gutierres Tract. de Gabellis, quæstione 93. numero 29. Fumus V. *Clericus* n.16. Layman lib.3. Tract.4.c.17. §.17.n.39. Comitolus l.5.q.53. & multi quos recenset & sequitur Diana Tract De Contract. Resol.72. & videtur liquere ex grauitate pœnæ constitutæ in delinquentes. Idque est anathema illud quocunque purè humano anterius & fortius, quod Origenes obseruauit homil.13. in Exod. expendens illud: *Custodite vos ab anathemate, ne fortè concupiscatis, & tollatis ab anathemate, & faciatis castra filiorum Israël anathema, & conteratis vos, & omnem synagogam Domini.* [Tale est, (inquit,) quod indicatur in his verbis: Videte ne quid in vobis seculare habeatis, ne seculares mores, ne vitia, ne tergiuersationem de seculo vobiscum ad Ecclesiam deferatis: sed anathema vobis

sit

ſit omnis conuerſatio ſecularis. Nolite diuinis mundana miſcere: nolite negotia ſeculi, Eccleſiæ ſecretis inſerere. Hoc eſt quod & Ioannes epiſtolæ ſuæ perſonat tuba, dicens: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.* Et Paulus ſimiliter: *Nolite,* (inquit,) *conformari huic mundo.* Qui enim hæc faciunt, accipiunt de anathemate:] Et vt mox addit Origenes, polluunt caſtra Domini, & vinci faciunt populum Dei; quæ eſt nota grauis culpæ, grauibus pœnis meritò obnoxiæ.

89. Subduxi tamen, & ab hac culpa, & à pœnis quibus eſt obnoxia, primùm eos qui ex graui neceſſitate negotiarentur. Quo nomine intelligendi in primis ſunt, pij illi Patrisfamilias adminiſtri, qui vt cum terrenis mercibus cœleſtes ingerant, omnibus omnia facti, perſonam induunt Mercatorum, quia alioqui excludentur aditu orarum illarum, in quibus per eam ſpeciem admiſſi, collaborant Euangelio, & fidem ac pietatem promouent; ſumma digni laude, quam illis meritò quis panxerit verbis S. Bernardi Epiſt. 42. ſtatuentis, vt ſumma laude dignum, quod ad lucrifaciendas animas, poſt benè conſtitutam conſcientiam propriam, vir pius [ſeipſum deferat, & quodammodò perdat, vt aliquos lucrifaciat. Cum infirmantibus infirmetur, vratur cum ſcandalizatis, fiat etiam (ſi oportet,) Iudæis Iudæus, nihilque formidet, cum tali conſcientia, exemplo Hieremiæ, & Ezechielis, in Ægyptum vel in Chaldæam cum tranſgreſſoribus captiuari, & cum ſancto Iob frater fieri Draconum, & ſocius Struthionum; cum Moyſe quoque (quod grauius eſt) deleri de libro Dei, & cum Paulo anathema eſſe à Chriſto pro fratribus. Ipſam denique, ſi neceſſe eſt, intrare

gehennam, securus medias penetrans flammas læta decantet conſcientia; *Etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*] Qui igitur ex neceſſitate pereuntium animarum fiunt negotiatores, & ſocij Struthionum, fratréſque Draconum, & quodammodò in ipſam ſeculi gehennam propter Deum amantem animas, ex charitate regrediuntur, laude digniſſimi ſunt; tantùm abeſt vt culpæ eam ob cauſam, vel cenſuris ſint obnoxij.

90. Cenſerentur præterea ex graui neceſſitate, negotiationem à culpa & cenſuris liberam præſtante negotiari; quibus aliunde non ſuppeteret, nec ſuppetitura decētiùs ſperaretur ſuſtentatio; & quotquot pij & prudentis viri iudicio, ad negotiationem adigerentur ex vrgenti, & planè graui cauſa. Vbi cauendi ſunt prætextus, quos cupiditas ſæpè in hoc genere nomine neceſſitatis obducit, vt monuit Concilium Pariſienſe ſub Ludouico l.1.c.12. Si tamen re vera interueniat prædicta neceſſitas, labis pura & cenſuris libera erit ſacrorum hominum negotiatio, vt habetur ex Concilio Eliberit. c.19. rectéque ſtatuunt Nauar. in ſumma c.25. n.110. Mol. tract.2. de Iuſt. d.342. Zerola in Praxi Epiſc. V. *Clericus* §.15. Salas Tract. De Empt. & venditione, d.2.n.7. Ex Iuriſperitis Straccha p.3. De Mercat. n.6. adducens Saliccetum, Trotius De perfecto Clerico c.52. & 53. adducens Panormitanum ad c. *ſecundùm Inſtituta*, Tit. *Ne Cler. vel Mon.* In prædicto igitur euentu, neceſſitate graui excuſante, negotiatio non eſt ſacris hominibus illicita. Vnde rectè infert Molina, ſupra *§. tertiò obſeruandum*, & Gutierres Tract. de Gabellis, quæſt. 93. n.6. ex tali negotiatione non deberi vectigal aut tributum, ſi quod pendatur à ſecularibus;

ſed

ſed etiam immunitatem ſacro homini ſaluam eſſe, quod non rectè in hoc euentu negat Salas ſupra dub.3.n.6.

91. Subducebam præterea culpæ & pœnis ſacrorum hominum negotiantium, eos qui non per ſe, ſed per tertium negotiarentur, ſi modò tertius ille haberet ſe vt cauſa principalis, non autem vt merus adminiſter. Quæ videtur legitima ratio conciliandi diſſidentes in hoc puncto ſententias. Nam negotiationem per tertium, non eſſe ſacris perſonis illicitam, etiam extra neceſſitatem, de qua proximè, cenſent Sa.V. *Clericus*, num.2. Medina q.30.de reſt.in 2. cauſa illicitæ negotiationis, verſic. *hæc tamen.* Valentia 2.2.d.5.q.20. puncto 5.Leſſius, Molina, Rebellus, Aragon, Salon, & alij quos profert Salas, Tract. De Empt.& Vend.dub.2.n.8.& Diana Tract.de contract.reſolut.72. qui pro contrario placito Religioſis interdicente, negotiatione per alium, adducit Megalam, Genuenſem, Ricium, Hugolinum, Salcedum, & Proſperum ab Auguſtino. Idem habet Gutierres tract. de Gabellis, q.93. à num.30. adducens alios.

Mihi diſtinctio adhibenda videtur. Nam ſi ille alius, per quem negotiatio exercetur, non ſit niſi adminiſter, nec habeat rationem concauſæ principalis, puto negotiationem illam per alium, eſſe Clericis & Religioſis illicitam; quia is qui ita negotiatur per tertium, eſt verè & propriè negotiator; & ſic accipio quæ habet Straccha parte 1. Operis De Merc. n.26. monſtrans, negotiationem per alium, conſtituere verum negotiatorem. Ad hæc, talis negotiator, etiamſi tertium adhibeat, ferè tamen obnoxius eſt omnibus illis inquietudinibus & fluctibus

curarum, ob quas negotiatio per ſeipſos, vetatur ſacris hominibus. Videmus ſanè maximos quoſque negotiatores, etiamſi pluribus adminiſtris non deſtituantur, agitari animo, & irrequietos ſemper eſſe, ac procul ab illo ſancto otio, quod in ſacris hominibus, Eccleſia, & ipſum eorum vitæ inſtitutum depoſcit. Itaque talem negotiationem per alium, illicitam eſſe ſacris hominibus, pono extra dubium. Sicque accipio Rodericum t.3.qq.Regul.q.74.art.8. At ſi agatur de negotiatione per alium qui ſit concauſa principalis, & curas omnes ac ſollicitudines negotiationis exſorbeat, admitto negotiationem per tertium, poſſe per ſacras perſonas, & Deo dicatas exerceri. Sic enim ſupra §.2. ratione 8. rectè poſitum eſt, fas eſſe Religioſis inire contractum Societatis cum Campſore, aut Mercatore conferente totam operam: Religioſis ex parte ſua, non niſi neruos negotiationis, ſiue pecuniam conferentibus: in quo ne venialiter quidem peccant, quicquid dicant Mol.Tract.2.diſp.342.verſic. *vtrum autem* & Gutierres Tract.de Gabellis q.93.n.30. ſanè huiuſmodi negotiatio caret admiſtione defectuum illorum, ob quos negotiatio malè audire ſolet; nimirum obnoxietate mentiendi, vel etiam peierandi & rixandi; nec habet adiunctam eam mentis diſſipationem, quæ auertit negotiatorem ab otio miniſteriis eccleſiaſticis, & vitæ Religioſæ conſentaneo. Fateor iuxta receptum pronunciatum, quæ per amicum facimus, videri per nos ipſos facta. Verùm qui per alium facit, purus manet, cùm ille alius ſolus contrahit ſordes, ſi quæ contrahendæ ſunt ex opere quod exequendum ſuſcipitur: Et ita contingit in hoc negotio.

IV. Pro-

IV. Propositio. Negotiatio aliqua lucratiua ex mercibus immutatis per negotiatorem, sacris personis illicita est, aliqua verò non est illicita.

92. Hæc est negotiatio quæ in trimembri diuisione superiùs posita, locum tertium tenuit, continetúrque venditione mercium per negotiantem immutatarum. Aio igitur, quasdam huius generis negotiationes dedecere Religiosos, ob adiuncta cum eorum statu pugnantia. Atque adeò nego fas esse Religiosis, lucri causa vendere quascunque materias ab ipsis immutatas. Latè hoc prosequitur Molina Tract.2. De Iust.d.342. concl.1. §.*secundum est*. Ratio breuiter est, quia aliquæ huiusmodi negotiationes, inferunt negotiantibus nimiam in externa effusionem. Aliquæ verò sunt obnoxiæ variis peccatis, quæ faciliùs adiunguntur negotiationi ex certis mercibus. Denique aliæ secundùm prudentem æstimationem, respectu sacrorum hominum sunt sordidæ, & lucrum ex eis captatum, etiamsi in se & absolutè sit honestum, tamen attento statu hominum Deo dicatorum, existimatur turpe lucrum, & qui ei se addicerent Religiosi, valde vilescerent. Huiusmodi est negotium tabernarij, & macellarij seu lanij, vt benè notauit Speculator lib.4. tit.de Cleric. coniug. nu.6. Vnde quamuis Religiosi haberent ex suis fundis vnde exciperent accedentes ad tabernam, appositis cibis sua opera mutatis, tamen indecentissimum esset Clericos aut Religiosos fieri caupones aut tabernarios: idque illis expressè vetatur Clementina De Vita & honest. Cleric.c.1. & Can.9. Trullano. Rectèque mortalis culpæ id damnat Rebellus 2. p.l.9. q.vlt. n.9. Quem tamen non audio; si (vt subindicat) *taberna* nomine intelligat etiam

locum in quo Clericus minutatim vinum suum vendat per matrem, aut sororem, aut famulum quempiam subscribit Layman l.3. Tract.4. cap.17. n.40. Sed perperam sic statuunt. Id enim longè aliud est, quàm taberna in qua vina per cauponem coempta bibantur, & cibi apparentur hospitibus; nec prudentum iudicio sordet aut venditorem Clericum depreciat, sicut faceret taberna. Et ita Gutierres Tract. de Gabellis, q.93.n.37. & Gironda de Gabellis 7.parte, in princ.n.15. Adiunxi tabernario macellarium seu lanium, ob eandem rationem vilis ministerij. Itaque tale negotium dedeceret homines sacros, etiamsi carnes vendendæ, essent ex animalibus Religiosorum, vel per eos in hunc finem saginatis, vt postea auctiùs venderentur, iugulata. Esto enim emptio iumentorum, vt vel adulta, vel facta meliora, aut saginata cariùs vendantur, non sit Religiosis illicita, præsertim si abundent pascuis, aut pabulum eis de suo suppetat; rectéque eam negotiationem Religiosis concedant Med.q.30. de *Rest. in causa secunda illicita negotiationis.* Salas Tract. de Empt. & venditione d.2. n.9. Ac Rodericus t.3. qq. Regul.q.74.art.8. Mol.tract.2.de Iust.disp.342. Gutiertes Tract. de Gabellis, q.93.n.51. malè n.52. id limitans ad animalia opere Religiosorum condocefacta, exclusis suibus qui tantùm pinguefiunt, nec vllo artificio adhibito expoliuntur. Sint inquam ista probabilia. Tamen venditio carnium ex illis animalibus iugulatis, adeò sordet, vt planè abhorreat à statu sacrorum hominum. Idem iudicium fert Molina Tract.2. De Iust. disp.341. concl.4. de officio Coriarij, & eorum qui aleas, taxillos, folia lusoria, & arma bellicia conficiunt, aut diuendunt. His

quippe

quippe & similibus negotiationibus, Religiosi valdè vilescerent apud homines, secundùm prudentem æstimationem. Vnde supposito tali statu, ius naturæ eos obligat ad abstinendum talibus negotiationibus. Nec Ecclesia hac in parte siluit; nam præter decreta iam allegata, constat vetari iure positiuo humano, ne homines Deo dicati implicentur tutelis, ac prædiorum locatione. Quanto ergo magis censendum est, velle Ecclesiam, ne sacri homines prædictis sordidioribus negotiationibus distineantur, per quas Religio vilipenderetur? Quod autem Gratianus cap. *Ejiciens*, dist. 88. ex credito Chrysostomo, solius negotiationis pressè dictæ meminisse videatur, parum refert: quandoquidem Gratiani autoritas non plus vrget, quàm eius ex quo profecit. Videsis opus de Æquiuoc. cap. 23. n. 8. & Sanchem l. 9. de Matrim. d. 12. n. 5. Autor autem ille Operis Imperfecti, quem Gratianus ibi descripsit, non est apud Catholicos magni momenti; nec re vera solam negotiationem pressè dictam ablegat ab Ecclesiasticis personis; (sic enim eum suprà limitauimus;) quamuis eius solius negotiationis mentionem fecerit. Ex his abundè confirmatum & illustratum manet, quod primò dixi, aliquas ex negotiationibus tertij generis, dedecere Religiosos.

93. Quod verò aliquæ ex eiusdem generis negotiationibus sint Religiosis licitæ, generatim & indistinctè loquendo, est extra dubium, agnoscitúrque à multis Iurisperitis, quos refert & sequitur Straccha Operis de Merc. parte 3. num. 5. Et Rodericus Tomo 3. qq. Regul. q. 74. art. 8. concl. 1. Et ratio est, quia hoc genus negotiationis, potest plerumque absque dissipatione spiritus, & vlla indecentia à Re-

ligiosis obiri. Quare generatim loquendo, non potest censeri prohibitum; siue iure naturali; (Cur enim?) siue iure positiuo. Imò pleraque iura humana, ratam habent huiusmodi Religiosorum negotiationem in singularibus quibusdam materiis: ac nominatim Concilium Moguntinum 1.c.14. De quo mox in discussione particularium materiarum, circa quas hæc negotiatio potest esse vel non esse illicita; Quò descendendum est, quia ibi est seges copiosa difficultatum huius negotij.

§.6. *Sigillatim de negotiatione per venditionem opificiorum, quæ Religiosi labore suo & manibus operando confecerint.*

LAbor siue opus manuum, cui Religiosi dare possunt operam, potest duobus modis spectari. Nempe primò per se & absque nexu cum negotiatione. Secundò cum eo nexu, ob venditionem opificiorum ex materia mutata.

94. Priore modo spectatus labor manuum, extraneus est huic disputationi, quæ ad negotiationem arctatur: Dubitare verò non licet, quin opus manuum possit à negotiatione seiungi, quia pleraque opera manuum sibi solis suscipiuntur à Religiosis, non quærentibus ea vendere, vel ex suo labore quæstum facere: sed vel sibi prospicere, quoad corporis necessitates, vel animæ consulere, per otij deuitationem. Habemus exemplum luculentum in Cistercienfibus, qui agros suos ac fundos sua manu operabantur: non ad fruges, quas ipsi quoque mete-

tebant

tebant ſua manu, exportandas in mercatum, ſed vt victus inde ſuppeteret, & pauperibus de ſua tenuitate non deeſſent. Quod Stephanus Tornacenſis Epiſt.1. his verbis collaudat. [Beata paupertas eorum (*Ciſtercienſium*,) quæ licèt eos fame premat aut frigore, non tamen aut mendicare compellit, aut diuitibus adulari, ſuis ac ſuorum manibus victum exquirunt & veſtitum, non veriti ſequi Paulum, qui cùm licitè poſſet de Euangelio viuere, ac ſpiritualia ſeminans, carnalia metere, maluit tamen manibus operari, ne quod offendiculum daret Euangelio Chriſti. Honorant Dominum de ſua, non de aliena ſubſtantia; & de primitiis frugum, non alterius, ſed ſuarum, dant Pauperibus. Quanquam rectiùs non ſua, ſed omnium dixerim, quæ vniuerſis ſecundùm gradus ordinatæ charitatis, quaſi in commune deſeruiunt. Nec enim buccellam ſuam comedunt ſoli,& non comedit cum eis pupillus ex ea, *&c*. In ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo, nec eos laſciuire & rixari faciunt, otium, & alienus cibus. Tanta in cibo parſimonia, vt duobus tantùm pulmentis vtantur, quæ aut ager ex leguminibus, aut ex oleribus hortus affert. Ipſis tantò rariùs vtuntur, quantum frequentiùs apud eos audiri ſolet, quàm videri. Terram diſrumpunt voluntarij,& violenti diripiunt cœlum.] Inuenio quidem Petrum Cluniacenſem, Epiſtola Apologetica ad S.Bernardum (eſt 28. libri primi) tanquam impoſſibile & damnoſum, ſugillantem hoc opus agriculturæ in Ciſtercienſibus; Tamen iudicium S.Bernardi, quoad meſſem diuinis quandoque ſuffragiis vt eius acta referunt, communitum, & à ſancto Benedicto approbatum c.55. Reg. anteferendum eſt,

Quanquam neque S.Bernardus approbauit vnquam nimium laborem in eo opere externo qui ſpiritum ſuffocaret, & corpus plus iuſto maceraret: quod vnum reprehendit Petrus Cluniacenſis, & S.Baſilius ad q.38. fuſætum, qui recifis turbis & ſuffocatione ſpiritus per corporis laborem; maxime hanc agri colendi diſciplinam approbat in Monachis, non ita multò poſt. Nec video cur id eſſe opus Monachi, inficiatur ſit Abbas Paſtor l.5. De Vitis Patrum libello 10.n.46. niſi ſi excluſionem culturæ externi hominis, per eam externam culturam nimiùm adamatam improbauit. Vt & S.Iſidorus c.5. Reg. qui id dixit eſſe opus ſeruorum; ſola horti olerum cultura, Monachis aſſignata. Habemus ergo ex eo Ciſtercienſium labore, exemplum operis manuum, ad negotiationem non ſpectantis.

95. Teſtatur præterea S. Hieronymus Epiſtola ad Ruſticum De Monachi Inſtitut. veteres Monachos, præcipuè ob otij deuitationem, & animæ ſalutem laboraſſe manibus, atque adeò non ad negotiationem. Quare ſic Ruſticum commonet: [Ne vacet mens tua variis perturbationibus quæ ſi pectori inſiderint, dominabuntur tui, & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, vt te ſemper Diabolus inueniat occupatum. Si Apoſtoli habentes poteſtatem de Euangelio viuere, laborabant manibus ſuis, ne quem grauarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in vſus tuos ceſſura non properes? Vel fiſcellam texe iunco, vel caniſtrum lentis plecte viminibus, ſarciatur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus cum olerum iacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ,

ducantur

ducantur aquæ per ordinem irriguæ, vt pulcherrimorum versuum spectator assistas. Ecce supercilio cliuosi tramitis vndam, elicit; illa cadens raucum per læuia murmur saxa ciet, scatebrisque arentia temperet arua. Et Monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam, in paruis disce corporibus. Texantur & lina capiendis piscibus, scribantur libri, vt & manus operetur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, vt nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victus necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne vagetur perniciosis cogitationibus mens, & instar fornicantis Hierusalem, omni transeunti diuaricet pedes suos.]

Quid Paulus Monachus, referente Cassiano l.10. c.24? [Cùm in eremo vastiore consistens, quæ Porphyrio nuncupatur, palmarum fructibus & modico horto securus haberet sufficientem alimoniæ suæ victúsque substantiam, nec posset aliquid aliud vnde sustentaretur, operis exercere, eo quod ab oppidis & habitabili terra septem mansionibus, vel eo ampliùs deserti illius separetur habitatio, plúsque expeteretur pro mercede vecturæ, quàm valere posset pretium operis desudati: collectis palmarum foliis, quotidianum pensum velut exinde sustentandus à semetipso iugiter exigebat. Cúmque opere totius anni antrum eius fuisset impletum, id quod solicita cura laborauerat singulis annis igne supposito concremabat, in tantum probans sine opere manuum, nec in loco posse Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, vt cum hoc fieri nequaquam necessitas victus exi-

geret, pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate ac perseuerantia cellæ, vel Acediæ ipsius victoria & expurgatione perficeret.]

96. Ex his ergo exemplis testatissimum efficitur, laborem manuum priscorum Monachorum non semper spectasse negotiationem, sed interdum ad victum citra negotiationem parandum; aliàs (& quidem frequentissimè,) ad solam otij declinationem fuisse ordinatum. Est enim otium omnibus mortalibus exitiale, Religiosis verò pestilentissimum. Conclamant passim in otij nocumenta Patres. S. Chrystomus hom. 7. in 2. Cor. *sub finem* ita loquitur de otioso. [Qui talis est, instar erronis cuiuspiam quouis malo transfigitur: atque huiusmodi animam, non secus ac puerum licenter vagantem, quisquis vult in seruitutem trahit. Quoniam enim ipsa hoc in more positum habet, vt aliquid operetur, si quidem ipsius in rebus honestis actionem comprimas, quandoquidem nihil agere non potest, alia pariat necesse est. Quemadmodùm enim terra, cùm nec seritur nec plantatur, herbam duntaxat profert: eodem quoque modo anima, cum necessariarum rerum nihil habet quod agat, atque animo aliquid agere cupiat, prauis se rebus tradit. Et quemadmodùm oculus, quando cernere non cessat, praua cernat necesse est, cùm bonis obiectis caret, sic etiam animus, cùm se à necessariis abduxerit, iam circà inutilia versatur.] Idem pulchrè homil. 35. in Acta *in fine*. [Quid fœdius homine qui non habet quod operetur, quid laboriosius, quid miserius? Nónne hoc plurimis vinculis deterius, toto die in foro quotidiè oscitare, & spectare homines prætereuntes? Animæ enim natura est, vt semper moueatur, & quie-

& quieſcere nequeat. Deus hoc animal condidit operationibus deditum, & ex natura eius eſt, operari, & præter naturam eius, eſſe otioſum. Ne ab ægrotantibus cauſam probemus. ſed à re ipſa experimentum capiamus; nihil vacatione moleſtius, nihil otio. Ideò neceſſitatem operādi indidit nobis Deus: Omnia enim ab otio damnum accipiunt. Etenim oculus, & os, & venter, & vnumquodque membrorum niſi quod ſuum eſt operetur, in extremum incidit morbum. Hoc autem maximè in anima eſt.] Hæc Chryſoſtomus prædictis locis, in quoſcunque otioſitati deditos: quæ multò magis in Religioſos valent; ac proinde qui cum Religioſis agunt Patres ac DD. ſummoperè eis commendant, vt ab otio caueant. Præſtat hoc omnino præclarè S. Baſilius Reg. 37. fuſarum, commendans inde opus manuum, quòd otium arceat. Idem traditur à S. Benedicto c.39. aliàs 48. Regulæ. vbi pleniſſimè Turrecrem. Tract.113. Videnda item Regula Carmelit. 13. & creditus Auguſt. ſerm.17. ad fratres in eremo. & Caſſianus l.10. c.14. Conſtat ergo opus manuum quod Religioſi ſuſcipiunt, non ſemper eſſe nexum cum negotiatione; ſed plerumque ad otij fugam, vel ad vſum operantis, citra commercium cum aliis, poſſe referri.

97. Eatenus tamen labor externus Religioſorum, & opus manuum, quo diſtinentur, nectitur cum negotiatione, quatenus opificia plerumque exponuntur ab eis venalia: & hac ratione, honeſtatem huius negotiationis & venditionis opificiorum per Religioſos nunc inueſtigamus. Debet verò vt certum ſtatui, hanc negotiandi formam, poſſe eſſe ſanctam, & Religioſos minimè dedecentem, quod ſuperiùs §.2. ratione 3. ex doctrina & exemplis ſan-

ctorum monſtratum eſt. Valde enim à Patribus celebratum reperitur opus manuum ad vendenda opificia, vt inde victus operantibus, & conueniens ſubuentio pauperibus ſuppetat. Præclarè in hanc rem præter cæteros S.Baſilius ad Reg.37. fuſarum, & Caſſianus l.10. c.21. Facit ad hunc locum caput 14. Concilij primi Moguntini ſub Leone 3. tempore Caroli Magni. Ibi enim poſt mandatam Clericis & Monachis abſtinentiam à negotiis ſecularibus; itémque poſt declaratam variis exemplis notionem ſecularium negotiorum à quibus cauendum ſit dictis perſonis; ſubditur poſtremo loco prohibitio exercendi iniuſti negotij. Addit verò Concilium. [Non tamen iuſtum negotium, eſt contradicendum, propter neceſſitates diuerſas: quia legimus Sanctos Apoſtolos negotiaſſe: & in Regula S.Benedicti, præcipitur præuidere per quorum manus negotium Monaſterij tranſeat.] Locus eſt ex cap.57. aliàs 64.vbi poſt conſtitutam fratrum opificum diſciplinam, additur. [Si quid verò ex operibus artificum venundandum eſt, videant ipſi per quorum manus tranſigenda ſunt, ne aliquam fraudem præſumant inferre.] Quæ verba (vt rectè perſpexit Concilium) apertè ſupponunt, negotiationem illam, qua res per artificium mutatæ reuenduntur, licitam eſſe Religioſis, exemplo Apoſtolorum, qui exercentes opificium aliquod (v.g. Scenofactoriæ artis, vt ex Actorum.18. habetur) vendebant artefacta ſua, vt eſſet vnde ſine grauàmine cuiuſpiam, vitam ducerent, & egenis de ſua tenuitate benefacerent. Confirmatur ex variis iuribus. Nam cap. *Clerici* 14. q.4. & cap. *Clericus* diſt.91. & cap. nunquam de Conſecr. diſt.5. Conceditur ſacris homini-
bus,

bus, vt de honesto artificio sibi suisque pauperibus victum & necessaria comparent. Potest ergo hæc negotiatio per propriorum opificiorum venditionem sancta esse, nec dedecens Religiosos. Et ita latè præter cæteros Gutierres Tract. de Gabellis, q. 93. à n. 47. adducens quàm plurimos. Et esse sententiam communem, affirmat Nauarr. in Man. c. 27. num. 128.

98. Sed nunquid omnis huiusmodi negotiatio per opificiorum venditionem, honesta censenda est respectu Religiosorum, eósque non dedecens? Conradus Summehart attendi vult, an materia artificio subiecta vilior sit pretio, quàm artificium à Religioso adhibitum. Nam si materia subiecta, sit pretiosior, censet tale opificium venale, dedecere Religiosum; sin minus, ei congruere. Sed meritò hoc refellit Medina q. 30. De Restitut. in 2. Causa illicitę negotiationis. Qualiscunque enim sit materia subiecta, tamen semper verum est, interuenire artificium. Vnde si aliud inquinans negotiationem non interueniat, poterit à Religioso artificij autore distrahi, saluis legibus Ecclesiasticis, & honestate status sui. Quare recurrendum est ad optimam, & pietatis & prudentiæ refertissimam distinctionem, quam circa hoc adhibet S. Basilius c. 6. Constit. Monast. verbis illis. [Cæterùm in his se operibus exercere Monachus debet, quæ ordinis ipsius decoro conueniant, cuiusmodi videlicet ea sunt omnia, à quibus cauponariæ artis, & imposturæ omnis absit suspicio, quæque nullæ longiores animi distractiones, aut improbi quæstus sequantur, sintque eiusmodi, vt manentibus intra tectum nobis magna ex parte confici possint, ne operum laboribus conten-

tiùs quàm par ſit conſectandis, animi in virtutis commentatione, neruos, induſtriamque elidamus; in quo illud ſpectandum, vt & opus abſoluatur, & à quiete tamen non diſcedatur.]

Pleniùs etiam ac diſtinctiùs ad Reg.38. fuſarum. [Omninò, (inquit,) etſi artes quaſdam præciſè ſtatuere, in quibus nos verſari conueniat, haud facilè eſt, quod aliæ aliis magis ſunt opportunæ: quemadmodùm videlicet cùm locorum, tum negotiationum, quæ in ſingulis regionibus tractantur, & natura & commoditas deſiderat: In vniuerſum tamen horum deſcribi, & conſignari delectus quidam poteſt. Ac nimirum eæ videntur eſſe quæcunque vitæ noſtræ, & quietem & tranquillitatem conſeruent, quorum ſcilicet neque materia magno labore quæratur, neque opera magna ſollicitudine diuidantur: ſimiliterque illæ omnes, quæ neque virorum neque mulierum indecoros congreſſus nobis concilient. Siquidem omnibus in rebus illud peculiariter debemus ſpectare, vt ſimplicitatem & frugalitatem teneamus, & illud ſummopere fugiamus, ne inſeruiamus ſtultis, ac planè noxiis hominum cupiditatibus, iis efficiendis, quæ in ſtudio apud ipſos eſſe animaduerterimus. Quocirca & in telis texendis, in ea modo opera, noſtra à nobis opera conferetur, quæ in quotidiano communique vitæ vſu apud omnes ſint: iis penitus reiectis quæ à libidinoſis mulierculis inuenta ſunt, ad captandos, ac laqueis irretiendos miſeros adoleſcentulos. Similis quoque in conſuendorum calceamentorum artificio tenenda ratio à nobis erit, vt videlicet earum rerum in illa arte miniſtri ſimus, quæ ad neceſſarium modò hominum vitæ vſum requiruntur. Cæterùm & ædificandi

candi

candi ars, item fabrilis lignaria, & æris cudendi, & agri colendi diſciplina, etſi ſuaptè natura ad vitam neceſſaria ſunt, & magnam vtilitatem afferunt, ac ne ſuopte quidem genio ſunt à nobis repudiandæ: tamen quandocunque aut quietem noſtram perturbare, aut fratrum vitæ coniunctionem videbuntur diſtrahere, non neceſſariò à nobis ſemper declinari debent. Maioréque in pretio habendæ ſunt illæ artes, quarum exercitatio eiuſmodi ſit, quæ non diſtrahat, neque impedimento ſit, quo minus Deo aſſiduè cohæreamus, & quæ neque à temporibus pſalmodiæ, orationíſve, aut reliquæ diſciplinæ conſtantia eos auocent, qui ſtudio pietatis operam dant. Si quando autem eiuſmodi in iis nihil ineſſe animaduerſum ſit, quod præcipuum vitæ noſtræ propoſitum impedire videatur, aut hinc nihil noxæ contrahere, multis ſine dubio hæc aliis anteponi debent, & maximè agricultura, quando ex ea facillimè res ad vitæ vſum neceſſariæ haberi poſſunt; & qui in ea verſantur, nullas hi ſurſum ac deorſum curſitationes coguntur ſubire, modò (vt diximus,) ea nobis, neque à vicinis, neque ab accolis tumultus afferat, aut turbas.]

99. Vides S.Baſilium agnoſcere, quaſdam huius generis negotiationes dedecere Religioſos, non item alias. Et in eas ipſas, quæ per ſe ſpectatæ non dedecerent, agnoſcere poſſe vitium obrepere à conſuetudine cum ſecularibus, præſertim mulieribus, ſi ad emendum Religioſorum opificia admittantur. Monſtratum id perſpicuè eſt in caſu S.Honophrij, prout apud Metaphraſtem refertur initio Iunij, ex ea S.viri vita, quam Paphnutius Anachoreta conſcripſit, habetúrque etiam in vitis Patrum lib.1. ſed

mutila hoc insigni exemplo. Interrogatus ergo per Paphnutium Honophrius, de causa secessionis suæ in eremum, his verbis respondit. [Ego fui nuper Monachus, degens in cœnobio Thebaidis, magnóque & fidenti animo operans. Statui autem egredi ex illo cœnobio, & solus quietè habitare in monasterio, studens maiorem inuenire mercedem. Hanc cogitationem cum lubenter suscepissem, ædificaui paruam cellulam, & solus in ea habitaui, artem exercens meis manibus. Quo factum est, vt multi quoque ad me accederent, iubentes mihi opus, quod meis facerem manibus. Neque verò mihi parui fructus ex iis redibant, ex quibus pauperibus & egentibus, & hospitibus suppeditabam. Inimicus autem, qui est omnino bonis infestus, illo mihi tempore inuidens, & meum erga Deum vehementem scopum, & institutum impedire cupiens, cùm subiisset mentem cuiusdam Monachæ, quæ apud me fuerat, iubens paruum aliquod opus; effecit vt ea ad me rediret; quo factum est, vt liberè inter nos locuti, simul quoque habitauerimus, & postremò (quod est grauissimum,) iniquitatem pepererimus, & sex menses in peccato mansérimus.]

100. Liquet, non immeritò S.Basilium timuisse Monachis, in hac negotiatione à conuersatione cum mulieribus, per occasionem venditionis mercium. S.Benedictus insuper timuit Auaritiæ, quæ incenditur per lucrum ex venditionibus. Ideóque c. 57. Regulæ voluit artefactum, ex quo suis permisit negotiationem, vendi aliquanto viliùs, quàm venderetur à secularibus; Id quod etiam habet alius Magister Monachorum apud Rabanum ad idem caput; & his verbis ex eius Regula c.85. refertur in concor-

concordia Regul. S.Benedicti Anian. c.64. [Cùm vnaquæque ars aliquid perfectum ſuperuacaneum vſibus Monaſterij habuerit, vel mittendarum Eulogiarum abundauerit :*Interrogata qualitate pretij quantum à ſecularibus diſtrahi poteſt, tantùm infra nummorum minori ſemper diſtrahatur pretio, vt agnoſcantur in hac parte ſpiritales à ſecularibus actorum diſtantia ſeparari; cùm non negotij cauſa, quæ eſt inimica animæ,lucrum ſupra iuſtitiam quærant; ſed etiam ab ipſa Iuſtitia minùs accipiendi pretij humanitate conſentiant; vt non propter cupiditatem & auaritiam artes operari credantur; ſed ne otio poſſit paſcenda dignis ſumptibus manus vacare, & horas operoſi diei gratis tranſire. Pretium verò acceptum, Abbati ab ipſis artificibus debet conſtitui: vt ſciant item quanta ementibus ſumma reſpondeat, & accepti pretij fraudem non poſſint facere, de ipſa quantitate iam ſcienti Abbati.] Vides ergo hos Sanctos timuiſſe inflammationi auaritiæ, & violationi paupertatis per huiuſmodi venditiones. Auaritiam autem amolientes ſtatuiſſe, vt artefacta aliquanto viliùs quàm à ſecularibus venderentur; contra quam faciebant Renuitæ Pſeudomachum, ex S.Hieronymo apud Iſidorum l.2. de offic. Eccleſ. c.15. Sic enim de eis S.Hieronymus. [Quaſi ars ſit ſancta,non vita,quicquid vendiderint, carioris eſt pretij.]

S. Martinus, vt auaritiam & pericula ex ementium conſuetudine, & ſi quæ alia incommoda venalitati adiunguntur, declinaret: omni huiuſmodi negotiatione interdixit ſuis Monachis, quod his verbis prodidit Seuerus Sulpitius in S.Martini vita c.7.agens de eius Monaſterio. [Non emere aut ven-

dere, vt plerisque Monachis moris est, quicquam licebat: Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur; cui tamen operi, minor ætas deputabatur; maiores orationi vacabant.] Non negat Sulpitius aliquid emptum fuisse ac venditum in Monasterio S. Martini: pleraque enim saltem empta fuisse, dubitare non licet, vt vita posset à Monachis exigi. Sensus ergo est, nihil fuisse emptum à secularibus, siue externis, quod per Monachos interposita mutatione venderetur, vt plerisque tunc Monachis sua artefacta vendentibus ex vsu erat. Hanc verò venalitatem, S. Martinus ad maiorem perfectionem, & ad præcludendas plerasque abusiones, à suo monasterio arcuit, solo artis scriptorum vau relicto, non ad venalitatem, sed ad vsum Monasterij. Tametsi neque scriptionis, neque artificiorum Monachis congruentium venalitatem improbauit, vt inhonestam & malam, simpliciter loquendo.

101. Hinc verò inferre licet, ex duplici genere operis manuum, quorum vnum à negotiatione abiunctum, alterum cum ea nexum est; tametsi neutrum vel malum est, vel in præcepto, sed vtrumque est liberum; tamen prius esse securius, quia magis recedit à peccandi periculis. Hoc secundum patet ex proximè disputatis ex mente Sanctorum, variis incommodis timentium ex venalitate artefactorum & opificiorum. Quod verò neuter operandi modus sit vitiosus, est extra dubium. Insaniebant enim Messaliani siue Euchitæ apud Epiphanium hær. 80. & vnus quidam apud S. Augustinum 5. Retract. c. 21. qui negabant fas esse Monachis laborare manibus, contendentes, Monachorum opus perpetuum & nunquam dimittendum, orationem esse. Quod ex

Apostolo

Apoſtolo refellit S. Auguſtinus. l. De opere Monacho. Nec magis ſobriè è Diametro Wicleffus apud Waldenſem l.4. doctr.art.2. c.22. & Caluinus 4. Inſtitut.c.13. §.20. ac quoad non habentes bona immobilia, è quibus cenſus ad victum ſuppetat, Guilel. De S.Amore, Giraldus De Abbatis Villa, Deſiderius Longobardus, Richardus Armachanus, hoſtes antiqui mendicantium, (quibus Lutherus ac Brentius; ille art. vltim. iſte in Confeſſ. Vitemb. cap. De Votis Monaſt.adſcripti ſunt;) effutiuerunt opus manuum eſſe Religioſis in præcepto. Sed hoc tanquam erroneum, & mendicitati ab Eccleſia approbatæ aduerſans, meritò conuellunt S.Thomas Opuſc.17. cap. vltim. & Opuſc.19. cap.5. & quodl.7. art.17. & 18. necnon 2. 2.q.187. artic.3.& 4.& S.Bonauentura in Apol. Pauper. q.1. *ſub finem*. & in Expoſitione Regulæ S.Franciſci cap.5. Cantipratanus l.2. Apum. cap.10. num.7. Caſtro. V. *Labor* hær.2. Sixtus lib.6. Biblioth. annot. 317. ac Bellarmin. l. De Monach. cap.45. Qui benè oſtendunt, fas eſſe Religioſis viuere mendicato, nec teneri ad opus manuum, vt victum parent. Quin etiam neque ex iſto capite, neque ex alio vitandi otij pro quo opus manuum Monachis ex neceſſitate ſuſcipiendum eſſe, ſignificant Caſſianus lib.10. à cap.8. & Iſidor. Peluſ. lib.1. Epiſtol.49. & varij aſceticæ vitæ Magiſtri, qui adunantur in Concordia Regul. S. Benedicti. Anian. cap.55. Ex nullo inquam prædictorum capitum, alterutrum modum operandi manibus eſſe Religioſis in præcepto, benè proſequuntur Rupertus lib. 3. in Regul. S.Benedictus à cap. 4. & Sanches libro 7. in Decalog. cap.24. quandoquidem victus, ſiue ex mendicatione reli-

giosa, siue ex nidificatione passerum super Cedros Libani, (vt S.August.in Psal.103. & Rupertus in vita S.Heriberti c.12. piè exposuerunt locum Psalmi 103.) id est ex fundationibus per diuites seculi factis, potest suppetere. Occupatio autem, amantibus studia sacra nunquam deerit, quantumuis ab externo opere, & labore manuum ferientur.

§.7. *Sigillatim de Religiosorum Conuictoribus.*

102. HOc est aliud singulare exemplum, inuoluens, (saltem ex parte,) negotiationem tertiam, cuius honestatem, atque decentiam quoad Religiosos, excutimus. Conuictoribus enim quos quis excipit, cibos coemptos & artificio suo ac opera mutatos exhibet, & inde quæstum facit, quod est tertio illo modo negotiari. Fuisse autem veterum Religiosorum praxim, certo pretio excipere & alere conuictores, monstratum est §. 2. Ratione 4. Quis verò aduersùs probatum Sanctis vsum, mutire audeat?

Ex alio tamen capite, non desunt quæ ei negotiationi facessant negotium. Est enim formaliter eadem negotiatio cum ea quam exercent caupones & tabernarij, nec minorem animi dissipationem infert, ob necessarium ad innumeras minutias descensum, & ob operositatem nutricationis & educationis puerilis intra domesticos parietes. Exempla verò Sanctorum, quæ adducebantur, non videntur ad rem facere. Nam pueri, quos S.Basilius & S.Benedictus domi suæ excipi volebant, ij duntaxat fuisse videntur, quos parentes addicebant cœnobiis: itaque

que in eum finem excipiebantur, vt à pueritia combiberent monasticam disciplinam, & assuescerent portare iugum Domini à prima ætatula, vltrò eidem colla submissuri, cum per tempus sui potentes forent. Apud S. Anselmum cap.78. simil. vocantur *Monachi nutriti*. Cæteros autem pueros non fuisse intra Monasteria admissos, vel si id aliquando tentatum est, correctum postea fuisse tanquam abusum, constat ex Concilio Aquisgran. in causa Regulæ S. Benedicti cap.45. habetúrque etiam in Appendice ad l.7. Capital. Franco. Ibi enim decernitur [vt schola in Monasterio non habeatur, nisi eorum qui oblati sunt.] Similitérque in Regula S. Cæsarij c.5. conceditur admissio infantulorum septennium, qui imbui literis, & ad obedientiam fingi maturè possint; vnde significatur agi de infantulis Deo oblatis per parentes. Subditur verò de aliis. [Nobilium filij siue ignobilium, ad nutriendum, aut ad docendum, penitus non accipiantur.] Concinitque quod Petrus Damiani Opusc.36. cap.16. gratulatur, quod Cassini, scholas puerorum non reperisset. Quod verò attinet ad eos qui à parentibus oblati admittebantur, cùm essent veluti plantationes cœnobij, & in spem posteritatis Monasterij exciperentur, non alebantur constituto certo pretio, aut pensione. Id quod etiam perspicuum est de pueris illis Anglis quos Sanctus Gregorius, multo studio conquisitos in suis cœnobiis ali, & erudiri mandabat. Esto, nobiles quorum filij ad S. Benedictum destinabantur, antidoro fortassis aliquo, citra omnem pactionem, compensarent expensas factas in liberorum suorum nutritione: Idque S. Benedictus, non vt pretium, sed vt antidorum ac eleemosynam bono conferen-

tium cessuram admittendum decreuerit, vt ferunt illa verba Regulæ c.59. [Si parentes aliquid offerre voluerint in eleemosynam monasterio pro mercede sua &c.] Quomodò *in eleemosynam*, si *pro mercede?* Itaque illud *pro mercede*, iuxta Turrecrematam ibi Tract.133. idem est quod *pro Redemptione animarum suarum*, vel *pro remedio animarum suarum*. Quare nulli fuerunt in S.Benedicti cœnobiis conuictores, ex constituto mensurno pretio.

103. Minùs vrgent exempla puerorum per Bedam & alios Monachos institutorum, de quibus §. illo 2. ratione 4. Vltrò quidem do, præter oblatos Monasterio paruulos, scholas aliis patuisse, in quibus Monachi minutam ætatem docerent; Tametsi enim id S.Cęsario, & Abbatibus ordinem S.Benedicti reformantibus, vt ex Capitularibus retuli, tollendum visum est. Tamen in S.Galli Monasterio id fuisse in vsu, constat ex Actis 5. Notkeri. De eadem Monasterij Fuldensis antiqua praxi, testatur BroWerus l.1. Antiq. Fuldens. c.9. Presbyterorum suorum Nepotes & consanguineos, ad scholam mitti intra monasteria sibi subiecta, indulsit Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Synodica Epistola n.19. Hoc igitur vltrò concedo. Dato tamen quod Scholæ queis Monachi præerant, non solis pueris Monasterio oblatis, sed indiscriminatim aliis quoque pueris paterent; non sequitur, pueros seculares, qui Magistris illis dabant operam, fuisse conuictores cœnobiorum in quibus erant scholæ, aut quas Magistri inhabitabant. An enim hodiè Adolescentes, qui ad Religiosorum scholas doctrinæ gratia confluunt, omnes eorundem sunt conuictores? Similitérque nihil est necesse, puellas quas in

Mona-

Monalium disciplinam datas ex Beda narratum est §.illo 2. ratione 4. fuisse Monalium contubernales. Nam hodiéque cernimus, Parthenones in quibus puellæ seculares erudiuntur, plerasque ad disciplinam admittere citra conuictum. ¶Et in actis S.Euphraxiæ c.7. disertè habetur, nullam puellam nisi se Christo deuouisset, admissam esse, vt in Monasterio maneret. Quanquam quod de docendis pueris non oblatis Deo circa Monachos à S.Cæsario, & Abbatibus Germanis improbatum vidimus, æquè circa Moniales improbat S.Anselmus l.De Vita Eremit. ad Soror.c.6. *in fine* verbis illis: [Pueris & Puellis, nullum ad te concedas accessum. Sunt quædam inclusæ quę in docendis puellis occupantur,& cellam suam vertunt in scholam. Illa sedet ad fenestram, istæ in porticu resident. Illa intuetur singulas, & inter puellares motus nunc irascitur, nunc ridet,nunc minatur, nunc percutit, nunc blanditur, nunc osculatur; nunc flentem vocat pro verbere propiùs,palpat faciem; stringit collum; & in amplexum ruens, nunc filiam vocat; nunc amicam. Qualiter inter hæc memoria Dei? Secularia & carnalia, & si non perficiantur, mouentur tamen, & quasi sub oculis depinguntur.]

Vtvt verò statuendum sit de vsu illo, puellas præsertim non contubernales,cum tam frequenti septorum claustralium reseratione intrò admittendi ad disciplinam, tamen ex vsu hodierno, liquere potest de antiquo; & efficaciter colligi inde videtur, non si quæ puellæ iam olim ad Moniales mittebantur doctrinæ gratia, oportuisse eas admitti in Monialium conuictum, vt de pueris quoad Monachos dictum est. Atque ita antiquus vsus non suffragatur

nouo vſui pueros ex certo pretio in conuictum Religioſorum aut Monialium admittendi; quæ ratio conuictores habendi, ſola pertinet ad negotiationem tertiam, de qua inquirimus an Religioſos dedeceat.

104. Videtur poſſe maior vis fieri in poſtremo exemplo, nempe conuictorum Societatis IESV, approbante S.Ignatio. Nam 4. parte Conſtit. cap.3. *lit. B.* permittitur, vt cùm in Collegiis non eſt iuſtus numerus Scholaſticorum Deo per Vota illigatorum, vel habentium propoſitum ſeruiendi Deo in Societate, admittantur alij Pauperes Scholaſtici ex licentia Præpoſiti Generalis, & ad tempus, quoad eidem Præpoſito videbitur. Mandatur tamen vt hi aſcititij Scholaſtici ſeorſim degant, nec commiſceantur cum iis qui inſtitutum Societatis ſequuntur, ſed tantùm cum eis verſentur, quatenus maius Dei obſequium iuxta ſuperioris arbitrium tulerit. Subditúrque [Et aliquando honeſtas ob cauſas, quamuis illi diuitum ac nobilium hominum filij ſint, modò ſuis viuant ſumptibus, nihil eſſe videtur, cur admitti non poſſint. Ætas conueniens fore à 14. ad 23. annum videtur, ſi in litteris progreſſum aliquem non feciſſent.] Declaratur quoque ibidem, cum pacta fundationis id ferunt, non repugnare inſtituto, tales conuictores ac commenſales in Collegio admittere, ſeorſim habitaturos, nec verſaturos niſi cum perſonis à Superiore deſignatis. Id verò inſtitutum eſſe occaſione Collegij Conimbricenſis, quod Rex Luſitaniæ de Societate benè meritiſſimus onere aliquorum conuictorum grauauerat, intelligitur ex prima Congregatione Generali, can.122. En igitur praxim conuictorum, ſuis ſumptibus cum Religioſis

giosis degentium, S.Ignatio probatam, atque adeò piam & ſanctam.

105. Verùm S.Ignatius, vel potiùs autor Declarationis Conſtitutionibus ap[illegible], Iacobus Laynes; (ex Declaratione enim [illegible] ex Conſtitutionum contextu, petita ſunt quæ retulimus;) aliud de Conuictoribus tradit, quàm ferat multorum ſenſus, & praxis hodierna. Vult enim Conuictores, ferè non eſſe niſi pauperes Scholaſticos, ad quos alendos, vel ex charitate de ſuperfluis Collegij non ſatis numeroſi, vel ex conuentis cum Fundatore, aſtringantur Collegia: pérque horum pauperum Scholaſticorum occaſionem, permittit, vt aliquando alij ætate ſimiles, qui ſcilicet annum.14. attigerint, nec 23. excedant, cum eis educentur ſuis victuri ſumptibus, cùm honeſtæ cauſæ id tulerint. Nam non niſi *aliquando*, & *honeſtas ob cauſas*, & *ætatis annorum* 14. *&* 23. & *admixti pauperibus titulo miſericordiæ*, *& fundationis alendis*; non autem paſſim, & ex cauſa quæſtuoſa, & pueri decennes, & quicunque acceſſerint, aut ad id induci potuerint, admittendi ſunt conuictores, ſuis ſumptibus viuentes, de ſententia authoris propoſitæ declarationis; qui addit, magnum eſſe habendum hac in parte delectum. [Animaduertatur, (inquit,) vt cùm huiuſmodi, reſtrictiores quàm largiores ſimus, habeatúrque diligenter delectus eorum qui ſunt admittendi, examine aliquo particulari, cum iiſdem antequàm recipiantur, vtendo.] Hæc quàm conſentiant cum hodierna praxi, permitto conſiderandum. Sed quod ab eadem praxi abhorret quàm longiſſimè, ex mente antiquæ Societatis, quæ nondum ad ſeculum, (quod nunc tanta exultatione recolitur,) propinquauerat, res nummaria

quoad Conuictores ſuis ſumptibus viuentes, nullo modo à Societatis Religioſis attingebatur. Ita perſpicuè habetur ex Decretis quartæ generalis Congregationis c.10. vbi ſic legitur. [Propter ingentem fructum, & pe[illegible] fidelium Pædagogorum, & alias vtilitates quæ ex hac occupatione videntur ſequi, flagitatum eſt, vt in partibus Septentrionalibus, noſtri habeant Conuictores, & eorum curam gerant; Ea tamen lege, vt res nummaria œconomo tradatur, & non ſollicitentur Adoleſcentes ad Inſtitutum noſtrum, nec admittantur inuitis parentibus. Et iudicatum à congregatione fuit, valdè optandum eſſe, vt Societas quoad fieri poterit, eiuſmodi oneribus liberaretur. Atque ideò Patris Generalis prudentiæ commiſit, vt pro ratione regionum ac perſonarum, expendat quid in hac re ad maius Dei obſequium, & commune Societatis bonum maximè expediat.] Ingens fructus ex quo Patres Septentrionales moti ſunt vt à Congregatione poſcerent facultatem habendi Conuictores, quorum vſum priùs ignorauerant, (habita eſt autem quarta Congregatio poſt annum 1572.) ille inquam ingens fructus ſperatus, non compertus adhuc experimento, non fuit fructus marſupij amplificandi, ſed fructus ſpiritualis, qui tunc plurimus ſperari poterat, præſertim in humili ætate rectæ fidei inſtitutionibus imbuenda, cui alioqui ob corruptam plerumque Pædagogorum fidem, timendùm erat in oris illis. Nunc Pædagogorum ſinceriſſimè Catholicorum vbertas eſt vbique maxima; & de ſpirituali fructu ſperato reſponderítne optatis variantes ſunt ſententiæ. Societas certè anterior, quæ ſæpè poſteà profeſſa eſt ſe ſub eo onere gemere, tantos illos quæſtus ſpiritua-

les

les non videtur agnouiſſe. Et Congregatio Generalis 3. quæ decreto ſuo 14. admiſtionem nonnullorum conuictorum ſuis ſumptibus viuentium cum Alumnis Germanicis, prouidentia Præpoſiti Generalis permiſit, ne vſus iam inductus,cum multorum Magnatum offenſione aboleretur ; ſatis ſignificauit ſibi multò magis cordi fore, ſi vſus ille non retineretur Romæ : & ne alibi ſerperet, vetuit decretum illud ſuæ quoad Romanos indulgentiæ, tranſmitti aliò,nec niſi Romæ in actis Congregationis habendum edixit. Tandem conditio ſub qua propoſitum eſt & conceſſum,vt in oris Septentrionalibus fas eſſet habere Conuictores, ſi Generalis Præpoſitus id iudicaret expedire, nunc exoleuit. Neque enim in vllis Conuictorum Collegiis Gallicanis res nummaria per ſeculares curatores adminiſtratur, nullatenus in ea ſe immiſcentibus Societatis Patribus, tametſi ita aliàs ſeruatum memini Auenione, Patre Ambroſio Morello cœtum Conuictorum quoad litteras & ſpiritualia regente, nec vllo modo attingente rem nummariam ; quæ per Congregationis (ſic enim vocabant) temporales adminiſtros,& curatores colligebatur ; quæſtu ſi quis erat, ipſis cedente. Hæc conditio nunc exoleuit ; nec ſi vigeret, celebrarentur tantoperè à quibuſdam fructus ſpirituales cœtuum illorum: vt ſanè non celebrabantur, cùm ea conditio locum habebat.

106. Effici ex his liquidò videtur, praxim Sanctorum nec veterum, nec poſteriorum, ſuffragari negotiationi illi ad Cauponariam & tabernariam accedenti, qua adoleſcentes certo menſurno pretio domi aluntur. Cernitur enim in hac agendi ratione duplex negotiatio : Vna propriè ac preſſè dicta, ſa-

eris personis vetita per Canones, qua pleræque merces emptæ in eum finem vt vendantur, reuenduntur, nullatenus mutatæ, nec absque quæstu; puta varij cibi, vina, charta, atramentum, gossipium, & alia pleraque minutalia. Altera quam mediam diximus, pertinétque ad tertium negotiationis membrum suprà propositum, qua pleræque aliæ merces esculentæ, coemptæ vt reuenderentur, præuia mutatione reuenduntur, sicut faciunt secularium plerique, victum sibi ac familiæ, parantes ex tali negotiatione & nutricatione Conuictorum ex certo pretio. Hoc ipsum etiam faciunt Caupones, & qui è meritoria taberna lucrum faciunt. Cibos enim ac vina vendunt hospitibus, & pro vtensilium locatione accipiunt certum pretium. Discrimen duntaxat inter Caupones & eos, de quibus agimus Conuictorum Curatores interuenit, quod Caupones & tabernarij ferè suam hanc negotiationem exercent cum prætereuntibus, & dietim aduentantibus, móxque abscedentibus: quod hi de quibus agimus, faciunt ad longiorem moram. Nemo tamen non videt, discrimen illud penes longiorem & breuiorem moram esse merè materiale, nec inducere formalem negotiationis diuersitatem. Cùm igitur Cauponum & Tabernariorum negotium, Clement. De Vita & honest. Cleric. cap. 1. à sacris hominibus remoueatur, æquè ac munus carnificum, eo quod vtrumque sit Religiosis indecentissimum, considerandum est iis qui Religiosos homines hac negotiatione implicitos volunt, quò demittant sublimissimum statum suum; & an non hoc sit de sanctis egredi, (quod vetatur sacris hominibus Leuit. 21.) ne polluant Sanctuarium Dei, id est cor suum, vt

Cassia-

Caſſianus exponit Collat.14. capite decimo.

107. Sed præterquàm quod negotiatio de qua agimus Sanctorum vſui conſentanea non eſt, vt hactenus euicimus, ſuppetunt graues rationes ob quas ea negotiatione abſtinendum Religioſis videatur. In primis nimium quantum vulgantur res Ordinis Religioſi, quibus obſcuritas & remotio ab oculis ſecularium magnam conciliat dignitatem; vulgatio autem deſpectionem inuehit ac depretiationem. Sanè inſignis moderator Religioſi Ordinis S. Bonauentura, ne acceſſum quidem ad interiora Religioſæ domus facilem eſſe ſecularibus voluit, quod ea ratione plurimùm decedat de maieſtate cœnobij apud nimiū facilè admiſſos. Quæ ipſa ratio erat, cur Ethnici ſuorum delubrorum penetralia ſolis epoptis reſerarent, ſtuporem occultatione & abſtruſione ædificantes, vt habet Tertullianus initio libri ad Valentinianos. Dixerit quiſpiam Domum in quam Conuictores admittuntur, non eſſe domum Religioſam, ſed ſecularem, quandoquidem à maiori parte ſit denominatio; ac proinde incommodum propoſitum, quod ſolas Religioſas domos ſpectat, huc non pertinere. Id ſi quis dicat, inde inprimis impugnabitur, quod domus illæ potiantur immunitate Eccleſiaſtica, qua tamen alio titulo non gaudent, quàm quod domus Religioſæ cenſeantur. Deinde vt argumentum retorqueam, à potiori parte facienda eſt denominatio. Cùm ergo qui præſunt ſint Religioſi, neceſſe eſt domum cenſeri Religioſam, præſertim cùm non exiguus eſt in ea numerus Religioſorum moderatorum. Nam licèt vt plurimùm, multitudo moderatorum non excedat denarium, alicubi tamen numerantur viceni & triceni,

quem Religiosorum numerum, quis neget sufficere ad hoc vt domus quam inhabitant, Religiosa dicatur? Tametsi autem numerus Conuictorum est longè auctior, tamen neque domus, in qua tota, solus plerumque herus est nobilis, denominatur ignobilis à conditione famulorum & ancillarum ingenti numero herum stipantium. Igitur domus quam Religiosi aliquot stabiliter hærentes incolunt, est domus Religiosa; & talis est domus Conuictorum, etiamsi septis primariæ domus Religiosæ non contineatur, eive continens non sit, sed ab ea abiungatur. Ac proinde cum Conuictores seculares, & turba famulorum item secularium, ad intimos recessus domus illius admittatur, incurritur in propositum incommodum vulgatæ, & vilipendio expositæ Religiosæ domus per hanc negotiationem. Non debet hoc incommodum videri tenue aut leue, quod Primariis Religionum moderatoribus visum semper est magnum. Sicut è contrario S.Bernardus Epist.78. inter insignia commoda reformationem cœnobij Sambyonisiani consecuta, de quibus Suggerio Abbati gratulatur, numerat, quod seculares non essent deinceps admittendi in domus illius penetralia, & eius aditum ægrè essent exoraturi.

108. Qualiscunque porrò sit Conuictorum domus, ac vel si secularis & laica, ob conuictores numerosiores moderatoribus statuatur, idem semper incommodum consequitur. Nam vilitas & depreciatio, quam ex adolescentum secularium conuictu inferri Religioni contendimus, non consequitur aditionem intimæ domus materialiter sumptæ, siue parietum, & quocumque ædis recessuum, sed consequitur domum sumptam formaliter, hoc est habitan-

bitantes in ea, quibuscum familiariter cõuersari seculares necesse est, si sint cõtubernales; ita vt à conspiciendis ac lustrandis omnibus quę ad Religiosos attinēt prohiberi vix ac ne vix quidem possint, cùm simul viuant, simul comedant, simul bibant; quod ipsum ad minuendam Religiosam dignitatem non parum facit. Admitto despuendam & exsibilandam esse illam planè deliram secularium exerrationem, qui Religiosos vellent Angelorum more absque cibo & potu vitam exigere. Vetus est ea de re S. Basilij querela in Const. Monast. c.7. sic expostulantis aduersùs eam insulsitatem. [Atque aliud etiam præterea animaduerto, quod iis solitum est non venire, qui communem ac vulgarem vitam sequuntur, quandocunque in pietatis cultorum vitam inquirunt. Simul ac enim pietatis cultor cum animo suo secum statuerit, rectum esse, post longinquam esuriem esca corpus fulcire suum, ne ruat: veluti si omnino corporis ac materiæ expers esset, aut nullum prorsus, aut quàm minimum cibum assumere illum volunt. Et si ex huiusmodi disciplina quempiam animaduerterint, qui non vsquequáque inclementer corpus tractet, ac vel tantillum illius necessitati subueniat, hunc conuitiis calumniísque proscindunt, deriuatáque ab vno in cunctos proteruia petulantiáque, vniuersos pariter lurcones quosdam, & helluones appellant: neque illud reputant, se cùm bis & ex ipsis nonnulli ter etiam quotidie epulentur, crassissimis, pinguissimísque suffarcinati vescantur cibis, & infinitam carnium molem deuorent, ingentémque supra modum vini ingurgitent vim, mensis tamen nihilominus se ita inhiare, vt exemptis è vinculis post diuturnam esuriem catulis assi-

miles videantur. Porrò qui veræ pietatis ſectatores ſunt, ij quàm fieri poteſt, aridiſſimo vtuntur cibatu, & in quo præter imbecillitatem tenues admodùm ad alendum vires ſint: idque in totum diem ſemel, quibus modò perpetuæ diſciplinæ ordinem ſeruare in animo eſt, & hunc ipſum quod modicè, & vt ratio iubet, aſſumunt, cùm cibi eius ſumendi tempus aduenit, fidenter nulla impediti religione, neceſſarium corpori auxilium tribuunt. Quo fit vt nequaquam conuenire iudicandum ſit, libertatem noſtram ab alia conſcientia iudicari. Si enim nos cum gratia participamus, quid blaſphemamur pro iis, de quibus gratias agimus? Cùm exiguam admodùm & viliſſimi pretij ciborum portionem, tanta nos cum voluptate amplectamur, cum quanta ne ipſi quidem, ſplendidiſſimos & copioſiſſimos cuiuſque modi ferculis inſtructiſſimos menſarum apparatus.]

109. Laborauit aliquando eadem fatua imaginatione Abbas Ioannes, cognomento *Paruus*, vt eſt apud Ruffinum l.3.Vit.Pat.n.56. & quod Religioſus eſſet, viuendùm ſibi & Religioſis aliis abſque cibo & potu, non ſecùs ac Angelis exiſtimabat: quem denique fames potentiùs quàm frater natu maior errorem dedocuit, & cõditionis ſuæ admonuit, vt hoc rythmo bellè expreſſit Fulbertus Carnotenſis.

In vitis Patrum veterum, quiddam legi iucundum
Exemplo tamen habile, quod vobis dico rythmicè:
Ioannes Abba, paruulus ſtatura, non virtutibus
Ita maiori ſocio, qui cùm erat in eremo,
Volo, dicebat, *viuere ſecurè, ſicut Angelus,*
Nec veſte nec cibo frui, qui laboretur manibus:
Reſpondit frater, Moneo, ne ſis incœpti properus,
Quod tibi poſtmodùm ſit non cœpiſſe ſatius;

At ille:

At ille: qui non dimicat, non cadit neque superat.
Et nudus eremum interiorem penetrat
Septem dies gramineo nix vbi durat pabulo
Octauâ fames imperat, vt ad sodalem redeat:
Qui ferro clausa ianua, tutus sedet in cellula:
Cum Minor voce debili appellat, frater aperi:
Ioannes opis indigus notis assistit foribus
Ne spernat tua pietas, quem redigit necessitas.
Respondet ille deintus: Ioannes factus est Angelus,
Miratur cœli cardines, vltra non curat homines.
Foris Ioannes excubat, malámque noctem tolerat,
Et præter voluntariam, hanc agit pœnitentiam.
Facto mane recipitur, satísque verbis vritur,
Sic intentus ad crustula, fert patienter omnia.
Refocillatus, Domino grates agit ac socio:
Dehinc rastellum brachiis tentat mouere languidis.
Castigatus angustiâ de leuitate nimia,
Cùm Angelus non potuit, vir bonus esse didicit.

110. Hæc meritissimò intorqueri in propositá insulsitatem, nemo non videt. Nihilominus diffiteri nō licet, quin Religiosi ex eadē cum secularibus mensa, præsertim assidua & diuturna obsolescāt apud rudes æstimatores. Vt propterea S.Basil. c.illo 6. Constit. Monast. ad communē cū Monachis mensam, non nisi probatæ pietatis seculares, & quidē perrarò admitti velit, ne scilicet ea in animali vita, & beatis quoque communi, pastus societate, deteratur religiosæ vitæ dignitas, apud improuidos & parū æquos æstimatores. Hanc ob causam S.Martinus, nunquā se exorari passus est, vt Præfecto Galliarum prādium præberet in suo cœnobio, vt scribit Sulpit. Dial.1. c.17. Affine est quod in Conc. Aquisgran. in causa Benedictinorum cap.25. (habetur in Appendice ad Capitularia,) statuitur, [vt Laicus, causa manducandi

& bibendi, in refectorium non ducatur.] Eadem ratio præter cæteras permouit S.Benedictum, vt c. 51. *alias* 58. sub excommunicationis interminatione vetaret, ne Monachus eadem die rediturus, quantumlibet à quocunque rogatus, cibum sumeret extra cœnobium, nisi fortè Abbas contrarium mandasset. Et quanquam sunt aliæ quoque illius interdicti causæ idoneæ, quas ibi profert Turrecremata Tract.117. tamen hæc in qua versamur, S.Benedictum non latuit, nec à Cardinali interprete præterita est. Et æquè cadit in simile præceptum, quod extat apud S.Augustinum c.3. Regulæ, & in Regula Tarnatensium c.9.

111. Aliam Religiosæ domus detritionem ex conuictu cum secularibus, annotauit S.Bonauentura q.21. in Regulam S.Francisci; quam præstat proponere verbis S.Basilij in Constit.Monast.c.7.vbi agit de parcitate congressionis cum extraneis hominibus. [Si quidem (inquit) homini in eo, quod ex Deo est, vitæ genere versanti, multi parati esse insidiatores solent, atque ipsi adeò coniunctissimi quique, in eum studiosè quid agat, inquirunt. Quocirca danda omnino nobis opera est, vt non nisi magna adhibita diligentia, circunspectionéque in congressum extrariis hominibus veniamus.] Confirmat hoc, exemplo Christi, qui cùm esset sanctus, innocens, impollutus, tamen non credebat semetipsum Iudæis, vt habetur Ioan.12. hoc est perparcè & magna cum attentione versabatur cum Iudæis familiariter. Tum subdit S.Basilius: [Sed qui hoc poterit impetrari vt si curiosis hominibus vitam nostram inspiciendam exposuerimus, non & prauas in nos calumnias conflemus, & ipsi nobismetipsis scan-

dala

dala ſtatuamus? Siquidem plerumque etiam quæ rectè fiunt, ea maleuoli in crimen vocare non dubitant, neque vel leuiſſimas quidem prætcrire offenſiunculas ſinunt, quas non maledictis inſectentur: quamobrem in admittendis extrariorum hominum congreſſionibus magna adhiberi à nobis cautio debet. Etenim præter ea quæ diximus, temeritatis vitio, aliud etiam peccatum incurrunt; cùm ſcilicet cogitant eos, qui à communi cum cæteris viuendi ritu receſſerunt, eo quod viuendi inſtitutum mutarunt, non conſilium mutaſſe, ſed diuerſam planè ab humana induiſſe naturam; neque de pietatis cultoribus iudicant tanquam de iis qui cum iiſdem affectionibus verſentur, eas tamen animi virtute, & à voluptatibus à ſe ſegregandis, rationis imperio ſubjiciant; ſed illud exiſtimant, naturales ex illorum corporibus omnes funditùs affectus ſublatos eſſe. Quò fit vt ſi vel tranſuerſum vnguem ſpiritalis vir ab recto declinarit, confeſtim vniuerſi, vel ij ipſi, qui vehementiſſimè ipſum antea laudibus efferebant, admirabantúrque, eius accuſatores exiſtant acerbiſſimi; palámque ſeipſos reprehendant, vt qui ne priores quidem illi laudes veras tribuerint. Vt enim cùm in certamine pugil aliquis concidit, illico in eum aduerſarius inſurgit, ipſúmque ferit, & humo magis etiam affligit: Ita hi quoque, ſimul atque aliquem de iis qui aſſidui in virtutis cultura ſunt, paululum aliquid de virtutis curriculo deflexiſſe animaduerterint, extemplò in eum inuadunt, maledictíſque & criminationibus, perinde vt iaculis petunt; neque ſecum reputant ipſi ſexcentis ſe quotidie vitioſarum affectionum telis transfigi: Cùm pietatis propugnatores, quamuis ſimilibus

ipsi quoque affectibus sint circumsessi, aut leuissimum inde, aut nullum plerumque incommodum accipiant; & quod magis eos mouere deberet, qui acriorem quàm illi aduersarium excipiant, quando hi apertissimè, ei se aduersarios professi sunt,& magnum quid adeptum se ille arbitratur, si de his victoriam reportet.]

112. Non est quod S.Basilij orationem minutiùs concidam, vel subiecta non necessaria declaratione illustrandam suscipiam, cùm nihil contineat non perspicuum, & quotidiano experimento testatissimum. Festucas enim & atomos imperfectionum, quibus necesse est quandiu hîc viuimus, etiam religiosa corda sordescere, amplificari à secularibus in trabes, & iam olim questi sæpè sunt asceticæ vitæ Magistri, & nos ipsi conspicamur. Ruperti disputatio l.3. In Reg.S.Bened.c.14.huc perbellè cadit. Profert Rupertus eo loco, tentationem qua pulsantur iuuenes recèns è seculo in Monasterium appulsi. Ait verò: [Per nostram conuersationem, sæpè aliqui scandalisati sunt pusilli. Quinam pusilli? Nimirum inexperti, illi maximè qui nouiter de conuersatione seculari venientes ad professionem Monachicam, putare videntur de Monachis quod homines non sint,qui hoc potiùs scire deberent,quia nulla professio siue conuersatio magis,quàm ista,caminus ille est, de quo sapientia dicit, *Vasa figula probat fornax,& homines receptibiles caminus tentationis.* Item, *fili accedens ad seruitutem Dei, sta in Iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Cùm ergo viderint vasa quælibet crepitasse in fornace huiusmodi; siue illud quod aurum putabatur, vel argentum, cecidisse in maturam vel vitium

plumbi,

plumbi, contendentibus interdum Monachis, quis eorum maior sit; siue quod peius est, aliquo Iuda detecto inter illos fuere loculorũ Domini. Cùm inquam viderint eos vbicunque pro re leuissima rixari, alterúmque aduersùs alterum inflari, scandalisantur, tanquam crepitus omnis non testæ sed fornacis culpa sit, vel caminus de argento plumbum fecerit, & non potiùs quid fuisset, quod argentum putabatur, ostenderit; & volunt illic viuere, vbi soli sint boni, (quod nusquam est nisi in cœlo; sicut reuera nusquam soli sunt mali, nisi in inferno.] Hoc si sentiunt qui pedem è mundo iam extulerunt, quid sentire in similibus adiunctis censendum est, illos qui etiamnum seculo adhæresçunt? Itaque non potest apud seculares, (tametsi per improuidum eorum iudicium,) non vilescere Religio, cuius Alumni viuunt, & degunt assiduè cum secularibus.

113. Nec paruum etiam vulnus infertur Religiosæ dignitati apud seculares, ex hac negotiatione admodùm quæstuosa; vt ipsi quidem arbitrantur, admetientes eam vsui quorundam secularium, qui familiam vniuersam sustentant è quæstu, quem illis subministrat Conuictorum tantillus numerus. Ex longè ergo numerosiore Conuictorum multitudine, quæ Religiosis cum contubernales admittunt facilè suppetit, imaginantur corradi aureos montes. Vnde præter inuidiam, existit depretiatio; quia sicut pauperies in personis Deo dicatis gloriosa est, vt de Sacerdotibus dixit Concilium Aquilejense Epistola ad Augustos apud S. Ambrosium; ita diuitiæ amplæ, etiamsi tantùm existimatæ, præsertim verò captatæ ex ratione agendi communi cum secularibus, effundunt contemptionem super Religiosos,

earum vel captatores, vel possessores, tametsi duntaxat existimatos. Auaritiæ acuendæ periculum in iis qui curant rem nummariam, dissimulatum in præsentia volo, ne agere sæueriùs videar.

114. Est & aliud longè grauissimum incommodum, ex eo Religiosorum cum Adolescentibus secularibus conuictu, etiamsi nihil de Religiosorum dignitate inde decederet per cuiusquam improuidentiam. Certum quippe est, Religiosos iuniores qui iis muneribus solent addici, ex quotidiano cum secularibus conuictu, mores seculares faciliùs combibere, quàm seculares cum eis degentes, hauriant mores religiosos. Et quia pro munere Præfecturæ quam obeunt, excubare debent in mores adolescentum plerumque deprauatos, non rarò ex conspectu & auditu talium, refricatur in eis recordatio multorum, quæ satius fuerat dedidicisse, & contriuisse æterna obliuione. Affectus verò necdum rectè subacti, luculenter se exerunt ad momenta singula, & cùm potuissent desuetudine atteri, & exolescere, quotidiano vsu firmantur & conualescunt: quod propè attrectatur manibus circa quosdam affectus, iræ præsertim ac superbiæ, quæ muneri Pædagogico (quale re vera istud est,) planè concarnatæ, & conuisceratæ semper fuerunt. Interim subducuntur oculis primarij superioris, cuius vigilantia atque prudentia conferre plurimùm potuisset continendis in omni Religioso officio, & promouendis ad pietatem hypodidascalis hisce tenerioribus; quos proinde mirum non est, lædi velut in flore botros, vt Iob dixit, iuxta S. Gregorij interpretationem 12. Moral. c. 25. Abjunctio item à conuictu seniorum, & plenæ Congregationis quàm multitudo piorum exem-

exemplorum semper affectatur ad omnem virtutem inflammans, facit vt de pristino calore remittant plurimùm. Quo pertinet laxatio disciplinæ, in cellis, id est domunculis, in quibus V.G. seni habitarent Monachi, (pauciores enim senis ibi degere vetuit Additio 1. ad Capitularia Tit.44.) Experientia inquam docuit, ex paucitate Cellitarum consecutam esse disciplinæ laxationẽ in Monachis, de qua expostulat Hugo de Follieto l.2. De Clauſ. Animæ c.2. aliasque in Synodo Abbatum coacta Aquisgrani ad reformationem tit.44.cautum legimus, vt cellæ illæ, & quotquot domus habere duodecim Monachos non poterant; desererentur, ne disciplina Monastica in minore simul degentium Monachorum numero dissiparetur. Eam ob causam, S.Bernardus, episto.253. huiusmodi cellas in quibus pauci simul degebant Monachi, nominat *Synagogas Satanæ*, quia videbat in eis euerti disciplinam. Idem ergo in hac re valet, proportione seruata. Imò eo fortiùs hic vrget istud incommodum, quod non modò pauci simul, ferè iuniores, degunt Religiosi, sed etiam permistim cum adolescentibus secularibus. At in medio populi polluta labia habentis habitare, quàm sit damnosum, attigit Glossa Isaiæ 6. & ex variis Ioannes Nider l.2. De Ref.Relig. c.17. §.*septima radix*: Nam vt cætera mala deessent, [ipsum solum commercium alienæ inquietudinis, perturbatio est nostræ quietis.] Verba sunt Saluiani l.2. ad Eccles.

115. Hæc est alia optima ratio aduersus huiusmodi Religiosorum conuictum; obiter quidem tacta superiùs, nunc autem roboranda & illustranda ex sensu SS. Basilij & Anselmi insignium planè Religiosæ vitæ magistrorum. Basilius ergo ad q.6. fu-

ſatum, diuinè in hanc rem diſſerit, his præter cætera. [Ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet ac minimè neceſſarias cogitationes aberret, illud adiuuat, ſi quis ſeorſum à cæteris communem vitam ſectantibus viuat: quandoquidem promiſcuè vitam agere, cum iis qui ſecuri perfectam illam Domini præceptorum obſeruationem contemnunt, perniciosum eſſe, etiam Salomon ipſe docet. Sic enim eſt apud ipſum, *Noli amicus eſſe homini iracundo, neque habitaueris cum viro furioſo, ne fortè diſcas vias eius, & ſumas laqueos animo tuo.* Et item illud: *Exite de medio illorum, & ſeparamini*; nimirum eodem pertinet. Quocirca ad illud euitandum, ne oculis auribúsve inſtigationes ad peccatum admittamus, eique imprudentes aſſueſcamus, néve earum rerum, quas vel viderimus vel audierimus, impreſſæ peſtilentes capitaléſque in animis noſtris formæ, ac veluti notæ quædam inſideant: contráque vt animum in officio ſuo attentum tenere poſſimus, principio quod ad habitationem attinet, ſeparata ea à cæteris nobis quærenda eſt. Ita enim & ſuperioris temporis conſuetudinem poterimus euincere, in qua alienam à Chriſti præceptis vitam egerimus. (non mediocri autem hoc eget contentione, vt conſuetudinem ſuam aliquis peruincat. Conſuetudo enim vetuſtate firmata, naturæ vim ſolet nanciſci,) & contractas ex ſuperioribus peccatis labes, oratione aſſidua, & perpetua Dei decretorum obſeruatione abſtergere poterimus. Eam autem in nullo licebit euincere, ſi multa hinc inde habeamus, quibus temerè huc illúcque animus noſter diſtrahatur, & vitæ huius negotiis amplificetur.]

Sancti

Sancti Anselmi de hac re iudicium repræsentatur c.187, Similitud. vbi sic legitur: [Sicut Bubo, dum in cauerna cum pullis suis est, lætatur, & suo modo benè sibi est; dum verò inter coruos & corniculas, seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, & omnino sibi malè est, vtpotè quem hic rostro percutit, ille alis in eum irruit, alter verò vnguibus discindit; ita & mihi. Quando enim cum Monachis, meis scilicet filiis conuersari queo, mihi benè est, & grata hæc singularis vitæ meæ consolatio. Quando verò remotus ab illis inter seculares conuersor, hinc inde me variarum causarum incursus dilacerant, & quæ non amo, secularia negotia vexant. Malè itaque mihi est, quando sic sum, ac tremens pertimesco animæ meæ dispendium.]

116. Has aliásque ob causas, amantes Religiosæ accurationis moderatores, cùm per circumstantias licuit, huiusmodi domos conuictórum studiosè aboleuerunt, hasque habere onus graue [lucrum verò quod putatur, maximum damnum ac noxam,] vt rectè in simili dixit Isid.Pelus. l.5. Epist.142. semper censuerunt. Nunquam sanè res in disceptationem adducta est, quin paucis demptis, apud quos lucri bonus odor vndecunque, pars longè maxima prouidendum omni studio existimauerit, vt illud religiosæ vitæ impedimentum excuteretur. Et quod in quibusdam actis anni 1639. scriptum est, cùm mota esset dubitatio, an domus quædam Conuictorum, præ penuria grauans non exonerans domum primariam cui adiungebatur, abjicienda esset, omnes vno excepto, censuisse, retinendam non abjiciendam videri, per licentiam poëticam scriptum est, cum strangulatione veritatis.

§.8. *Discussa sigillatim causa Pharmacopolarum Religiosorum negotiantium.*

HOc est aliud exemplum tertiæ negotiationis;cuius per Religiosos exercitæ decentiam & honestatem excutimus. Adductum pro ea est §.2. ratione 6. Exemplum Apollonij, qui dictus est *ex negotiatoribus*. Contra eam verò, sunt qui decretum quoddam Pontificium nuper editum allegent. Sed quod id decretum, trans Alpes hæserit, nec nobis de eo constet, aliter in hanc negotiationem agendum erit, seposito nouo illo iure nobis inexplorato.

117. Sanè si alij non essent hoc tempore Religiosi pharmacopolæ, quàm fuerit olim ille Apollonius, non esset ambigendum de honestate, imò sanctitate huius negotij: habéntque in eo homine, Religiosi Pharmacopolæ, luculentum exemplum Christianæ perfectionis, quod piè æmulentur, & imitatione exprimant. Fateor Apollonium non fuisse Monachum. Quippè qui bonorum suorum dominium liberum retinebat, vt patet ex coemptione pharmacorum, & aliorum ad releuandos ægros conuenientium, de suo facta. At cum libero rerum suarum dominio, ne summum quidem Christi Vicarium posse Religiosum statum conciliare, dixit Innoc. 3. c. *Cum ad monasterium* De statu Monacho. Dictus ergo est Apollonius seculo renunciasse, quia non sollicitus de augendo censu domestico, omnia quæ habebat, effundebat in sanctos vsus. Statuo itaque eum veluti exemplar Pharmacopolarum religiosorum, quia pharmacorum & dulciariorum emptionem, aut ex coempta materia confectionem, non

referebat

referebat ad lucrum; (nam gratis ſuppeditabat omnia,) nec apparabat aliis quam Religioſis vtriuſque ſexus, quos ſupra ter mille in loco deſerto, & ab omnium Pharmacopolarum ſubſidiis procul poſito, tolerare varias corporis ægritudines, nec rarò in vitæ diſcrimen venire neceſſe fuiſſet, niſi ipſe ex charitate accurriſſet opitulator, quod omni commendatione dignum fuit. Poſſunt quidem Religioſi ægri cum laude reſpuere vſum pharmacorum, vt factum eſſe à priſcis Monachis ſcribit S.Chryſoſtomus homil.14. in 1. ad Timoth. ſeruatúmque eſſe in quodam Monialium cœnobio, habetur in Actis S.Euphraxiæ c.6. Idem narrat de S.Fulgentio vitæ Autor c.30. & de S.Macrina ſorore ſua, Gregorius Niſſenus orat. de ea, cum de ſancto eius cadauere. Approbant eam praxim S.Macarius homil.48. Diadoch. l.De Perfect.ſpirit.cap.53. S.Bernardus Epiſt. 321. S.Ephrem.To.1.tract. De fide, vbi Voſſius multa accumulat. Hoc quamuis nunc abſque alio examine placeat admittere, tamen certum eſt, Religioſos ægros, ſi neceſſitas ferat, poſſe laudabiliter vti pharmacis, vt optimè diſputat S.Baſilius ad q. vltimam fuſiùs explicatarum. Vnde qui ea ægris Religioſis ſuppeditant, præſertim gratis, & ex mera charitate, vt faciebat Apollonius, omni commendatione ſunt digni.

118. Pharmacopolarum negotiatorum ſub religioſa veſte, quorum cauſam excutimus, alia ferè eſt ratio. *Ferè* dico, quia quatenus domeſticis ſubſidio ſunt, probandus eſt eorum labor, præſertim ſi magna cum charitate obeatur, & cum omni diligentia. Sic enim agi vult cum Religioſis ægrotis creditus Auguſt. ſerm.1. ad fratres in Eremo. Idémque

fert quod S.Basilius Reg.160. breu. vult eis ministrari sicut Domino. Quod ex illis Christi verbis Matth.25. *Infirmus eram &c.* Confirmat S.Benedictus Reg.c.36. aliàs 45. inde inferens, antè omnia & super omnia, habendam esse infirmorum Monachorum curam. Ad eum locum Turrecremata tract. 29. pulchrè prosequitur, cur ante omnia subueniendum sit infirmis, & rationem præcipuè petit, ex multò maioré miseria ægrorum, quàm valentium, cum aliquo incommodo confligantium. Ad hæc Religiosi infirmi; minore facultate pollent ad opitulãdum sibi, ob abdicatam cũ omnibus facultatibus, sui ipsorum potestatem. Omnium sanctorum Fundatorum summa semper fuit solicitudo hac in parte, tum ad Charitatis exercitationem, & debitum paternæ prouidentiæ explendum, tum ad præcludendam paupertatis cladem, per proprietatem, quæ hoc maximè ex fonte solet profluere, vt Cassianus notauit l.7.c.7. Insignia in hanc rem de S. Ignatio scribit Ribad. l.5. cap.8. Itaque infirmitas non modò est ægro officina virtutis, vt dixit S.Ambrosius in Psalm.36. sed etiam iis qui subsidio, & opera adsunt ægrotantibus, cuiusmodi prę sertim sunt Pharmacopolæ; qui si Charitatem, quantam per institutum licet, erga omnes debent expromere, maximè tamen erga domesticos fidei. Huncque fuisse primum scopum eorum qui Pharmacopolas Religiosos intulerunt in cœnobia; est extra dubium: Nam sic Religiosi ægri, faciliùs, & citra magnas impensas, habent ad manum vnde in ea necessitate subleuentur; præsertim si Pharmacopola Religiosus magna Charitate in tam sanctum, tamque laudabile sublevandorum seruorum Dei opus feratur,

quod

quod Apollonium fecisse vidimus. Quoad ista igitur, par esse potest ratio Apollonij, & eorum de quibus nunc est sermo.

119. Quatenus tamen Religiosi Pharmacopolæ, præter primarium illum scopum, ex quo cœnobiis illati sunt, effunduntur ad alia, eatenus dicebam, aliam esse eorum quàm Apollonij rationem. Nàm & ad externos transferunt operam, & quibuscunque possunt eam impendunt, vnde ingens vis Pharmacorum est eis necessaria; quorum confectio & apparatio animum in varia distrahit, non sine spiritualis profectus, & sacrarum exercitationum interturbatione atque dispendio; nominatim, quia vt materia suppetat ad copiam illam pharmacorum, adeunt emporia, etiam admodùm remota, v.g. ad leucas quinquaginta, cum expensis non modicis, quæ auctiore pharmacorum pretio sunt posteà refundendæ. Per illas autem discursationes multa incurri, cùm in via, tum in hospitiis, à quibus tutius fuisset procul fieri, admonuit Gregorius Nyssenus, improbans Religiosorum peregrinationes Epist. De Peregrinat. Hierosol. Hoc incommodum non vrgebat Apollonium, qui secularis erat, nec nisi Religiosis dabat operam; & quidem in desertis locis, vbi deerat ab aliis Pharmacopolis subsidium. E contrariò, hodierni Pharmacopolæ Religiosi, in populosis vrbibus, quæ seplasiis & pharmacopolis abundant, & in quibus suppetunt operarij ad ægrorum quemcunque nutum paratissimi negotiationem hanc suam obeunt. Extra omnem quoque necessitatem, non viros modò, sed etiam fœminas curandas suscipiunt, à quibus multa sexui illi secundùm consuetudinem euenientia, inquirere coguntur, nisi inu-

tiliter, vel etiam cum damno ægrarum, ponere operam velint; quæ inquirere Religiosum dedeceat, nec fœminæ absque rubore, Religioso homini aperiant. Contrectatio verò fœmineorum corporum necessaria medicinam facientibus, siue ad explorandum pulsum, siue ad pertentandam vlceris non satis maturi qualitatem, siue ad incidendam venam; (nam & hoc quoque passim moliuntur, hi supra pharmaceuticam, veriùs quam pharmatiam, Chirurgiæ ferè periti; quàm consentaneè ad canones Ecclesiasticos, incisione inter medicandum interdicentes Religiosis, nunc non moror:), Omnis inquam huiusmodi contrectatio fœmineorum corporum per Religiosos, quàm sit illecebrosa & periculi plena, norunt qui inde flammam in subiecto fomite concepisse dicuntur. Continuò in volutabrum fœtidissimum lapsantem calamum, & malo pressa quàm expressa, quæ vtinam contigerint nunquam. Multò minùs fas erit Pharmacopolæ, de suo capite pleraque ægris mulieribus præscribenti, oculos auertere à facie mulieris, quod tamen Scriptura faciendum monet, extra necessitatem, in quam iste se inducit, tantùm quia placet. Quin potiùs ad pronunciandum de interno corporis habitu, satiandus erit oculus visu; cuius tactum S. Basilius l. De S. Virginit. *ferè initio*, pronubum esse tactus manuum scitè dixit. Grauissimè item ab eo muliebris corporis contuitu, auocat Isid. Pelus. l. 1. epist. 278 & 284.

120. Hæc qui vel perfunctoriè perspexerit, ridebit nobiscum prouidentiam vnius alicuius de gente Marsorum atque Phillorum, qui venenata omnia impunè tractant. Is audita proborum & puritatis instituti sitientissimorum expostulatione, de

hac

hac Religiosi Pharmacopolæ ad externos (etiam fœminas,) effusione; edixit, vt domesticus Pharmacopola, nullis deinceps externis subsidio esset, aut pharmaca venderet, nisi Monialibus, etiamsi Parthenones intra vrbem essent, multíque suppeterent idonei Pharmacopolæ seculares, qui eis medicari possent, & maximè vellent. Risimus planè hanc prouidentiam, quæ omnibus antedictis, postcáque proferendis incommodis æquè scatet; & cum Monialibus quas extra grauem necessitatem necessarium maximè fuerat vitare, commerciorum potestatem facit. Sanè præstantissimi rei asceticæ Magistri, nullarum magis fœminarum alloquia Religioso deuitanda esse docuerunt, quàm Monialium. Videsis præter cæteros S. Macarium Epist. ad Monachos, S. Basilium in Constit. Monast. c.4. Nilum in Opere de octo vitiosis cogitationibus cap. De fornicatione, & rursus cap. De Superbia in fine opusculi, Isaacum Presbyterum l. De mundi contemptu c.46. Bern. s.68. De modo benè viuendi. S. Bonauenturam De Instit. Nouitior. p.1. c.39. & Cautipratanum l.2. Apum. c.30. n.46. Cæterùm Apollonius Monialibus ægris medicinam faciens, non tegit Pharmacopolas Religiosos, de quibus egimus, quia & secularis erat, (vt dixi,) non Monachus; & ibi ægris Monialibus aderat, vt deerant qui possent illis medicinam facere, cùm essent in secessu remotissimo, & longè à quouis alio medicantium subsidio.

121. Iam Apollonij, gratis pharmaca & operam suppeditantis, charitas non quærens quæ sua sunt, hîc non comparet. Nam quamuis aliquantò minoris Pharmacopolæ de quibus agimus, interdum vendant, quàm faciant Pharmacopolæ seculares, ven-

dunt tamen. Sæpè item, aut etiam quoties possunt, factis monstrant, se non astringi ea S. Benedicti Regula, quæ vilius vendendorum artefactorum pretium, quàm à secularibus statueretur, indicit; Sæpè inquam isti, notati sunt cariùs vendere. Estque id non infirmum indicium inualescentis auaritiæ; præter illud aliud, quod domesticis, quia gratuita est pharmacorum erogatio, & operæ exhibitio, lentiùs plerumque ac morosiùs nauatur opera, quàm secularibus aut externis, quibus in manu est quod refundant. Hoc est bibulæ salsuginis præcordia Pharmacopolæ occupantis, apertum signum. Neque hoc dico, Pharmacopolam religiosum satagere de infarcienda sibi crumena, cum clade voti paupertatis. Quamuis enim paupertatem in tuto esse velim; tamen per huiusmodi occasionem, datur Religioso occasio induendi sese in auaritiæ pedicas, dum studet apparere multùm vtilis cœnobio, indéque ad strenuè laborandum & multa vendenda se vrget. Incidit item ea ratione in abruptum superbiæ, & inanis gloriæ, quæ inde facillimè exurgit, cum certo periculo Religiosi operarij Vt propterea S. Benedictus c.57. Regulæ, aliàs 64. fratres artifices, si ob vtilitatem quam Monasterio adducunt, turgeant vento inanis gloriæ, auocari voluerit ab opere: pluris faciens fratris salutem seruata humilitate, quàm commodum temporale, ex eius opere accedens Monasterio. Longè ergo à S. Benedicti spiritu, & religiosa prouidentia absunt, qui ob lucellum, fratri improuido, vel superbiæ vel auaritiæ occasiones subministrant, vel aliunde ingestas non remouent. Non video sanè, quid indignius magisve præposterum possit accidere, quàm Religioso homini, in Reli-

Religione quæ auulſionem à ſeculo profitetur, ſuppeditari auaritiæ incentiua, vel ſuperbiæ ſtimulos, quibus ad ſupergrediendum Religionis vallum, (elegans comparatio eſt Gulielmi Pariſienſis l.De Moribus c.9.) ſublicas extendant, & pontem ſternant. De diſſipatione ſpiritus, & negotioſæ mentis Pharmacopolæ, diuulſione in multa, fruſtrà dicerem, cùm omnis negotiatio hoc habeat, & facillimum perſpectu ſit, ſollicitudinem illam conquirendi tam varia, è quibus conficiuntur diuerſiſſima pharmaca, complendæ & inſtruendæ ſeplaſiæ neceſſaria, ipſum deinde confectionis omnino multiplicis laborem; & in diſtrahendis confectis Pharmacis curam; non cohærere cum ea indiuiſi ſpiritus vnitate, quæ Religioſum decet, nec eum aptare ad expeditè agendum cum Deo, quod eſt *vnum* illud, ex Chriſti oraculo neceſſarium.

122. Vrget ferè in hanc rem hæc argumenta S. Bernar. Epiſt.67. agens de quodam Monacho, qui à Flauiacenſibus receſſerat. Nam rogatus cur receſſiſſet, [Abbas, (inquit,) meus habebat me non Monachum, ſed Medicum. Cogebat ſeruire, imò ipſe ſeruiebat per me, non Deo ſed ſeculo; quando ne ſecularium maleuolentiam incurreret Principum, mederi me compellabat; etiam Tyrannis, raptoribus, excommunicatis. quod animæ meæ periculum, cùm ei nunc priuatim, nunc palam ſuggeſſiſſem, nec profeciſſem; quorundam tandem ſapientium virorum conſilio fretus, fugio meam damnationem, non congregationem; perditionem, non Religionem. Conſuluie ſalutem quærenti, aperite pulſanti.] Addit S. Bernardus. Cuius nos videntes conſtantiam, audientes cauſam, & nullam contra eum calumniam, an-

nuimus introitum, probauimus susceptum, astrinximus probatum, tenemus professum.] Rursus idem S. Bernardus Epistol.68. [Negatis deinde quod de vobis audieramus, vestro scilicet iussu vel assensu fratrem quandiu fuit apud vos, in medicinali arte, secularibus deseruisse, ipsúmque qui hoc dixit, falsitatis arguitis. Si mentitus sit, nescimus, ipse viderit. Sed hæc scimus, quia siue per se, vt vos fatemini, siue per vos, vt ipse testatur, hæc fecerit, in magno interim periculo fuit. Quis verò tam inhumanus qui sic periclitanti non succurreret si posset, non consuleret si nosset?] En quid censeat S.Bernardus de Religiosis medicinæ operam dantibus; & agit præcisè de ipsa Negotiatione medica.: quamuis alia posteà subdat spectantia finem extrinsecum, ex quo Monachus ille, operatus dicebatur à Flauiacensibus.

123. Suppetit aliud in hanc rem argumentum, quod ita proponam, vt de eius vi pronunciare nolim, sed dimissam velim considerationi aduersariorum. Argumentari ergo præterea licet, ex scandalo Pharmacopolarum secularium, qui hunc introitum in labores suos, ferunt ægerrimè, & aliquando mota apud Iudices lite, indemnitati suæ prospexere pro viribus. Mirantes verò interdum, nec sine stomacho audire contigit, quorsum intactis tot aliis negotiationibus quæ non minùs sunt Religiosis ad manum, hæc vna apud eos ferè ferueat, conficiendorum & diuendendorum Pharmacorum. Non enim pannos aut telas conficiunt ad negotiandum, tametsi sunt apud eos qui textrinæ pollent incumbere. Habent fabros ferrarios, habent lignarios; nec tamen ferri fabrefacti propolas agunt, aut circa ar-

ca arcas vel mensas, aliámve ligneam supellectilem negotiantur. Num Pharmacopœa delecta est præ cæteris, tanquam multæ mortificationis ob amarulentiam pharmacorum, & chysmatum oliditatem? Num quia magè necessaria? An quia quæstuosissima?

Ad hoc argumentum, video à quæstuosis & negotiosis occurrendum, dicendo; id esse scandalum acceptum atque passiuum, proindéque minimè curandum, iuxta doctrinam D. Thomæ 2.2. q.43. art.7. Nam Religiosus Pharmacopola vel cœnobium vtitur iure suo, quod Pharmacopolæ seculares præter ius tentant præcludere. Vnde tametsi docendi sunt, quàm nulla eorum iniuria Religiosus Pharmacopola rationibus cœnobij consulens, negotietur: tamen cùm primùm obfirmantur in voluntate intercludendi iura cœnobij, indéque scandalum patiuntur quod eis non absistatur, scandalum est Pharisaicum, & ex malitia prodiens, ideóque negligendum, exemplo Christi, qui scandalum Pharisæorum nihili faciendum pronunciauit.

Audio ego quidem quod dicitur. Sed peruelim scire num ij quos Apostolus Rom.14. refert carnes communes comedisse, nullo diuino præcepto vetante, atque adeò suppetente comedendi idoneo iure, docti sint ab Apostolo dedocere pusillos siue infirmos, qui scandalum inde patiebantur: iisque patientem aurem doctrinæ non commodantibus, vel præ ingenij hebetudine non satis peruadentibus quæ audiebant de iure comedendi omnes cibos, quippe per Christum emundatos & sanctificatos, monuerit illos, negligere scandalum à pusillis iniuria & sine fundamento acceptum. Non ita

ſanè. Quin potius eo loco Apoſtolus, potenti oratione vrget Chriſtianum è Gentiliſmo conuerſum, vt compatiens infirmitati fratris ex Hebraiſmo conuerſi, cui ea comeſtio communium carnium ſcandalo erat, abſtineat carnibus, ſi velit ſecundùm charitatem ambulare; hoc eſt niſi velit charitatem exſcindere. Senſit ergo Apoſtolus, carnem communem pro vice cuiuis competente, manducare, eſſe contra charitatem; cum occaſione illius manducationis perdendus eſt frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Vnde vlteriùs conſequi docuit blaſphemationem libertatis Chriſtianæ, eam certorum ciborum contra legales ceremonias abſtinentiam negligentis: cùm tamen æquum non eſſet, propter rem tantulam, quæ ad regni cœlorum adeptionem non refert, (cibationem inquam ex carnibus communibus,) abjicere fratris ſalutem, & ſollicitudinem boni nominis Chriſtianæ Eccleſiæ, ac declinationem offenſionis per puſillos inde conceptæ. Concludit Apoſtolus. Itaque quæ pacis ſunt, ſectemur, & quæ ædificationis ſunt, inuicem cuſtodiamus. *Noli propter eſcam deſtruere opus Dei. Omnia quidem ſunt munda, ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat*; hoc eſt qui cibo optimo & nullatenus prohibito veſcitur cum offenſione proximi imbecillis, & profligatione boni nominis Chriſtiani.

124. Hoc Apoſtoli argumentum, videtur æquè vrgere in re noſtra. Nam quamuis velimus ſuppetere Pharmacopolæ Religioſo, ius omni Eccleſiaſtico & naturali interdicto ſolutum, negotiandi circa pharmaca extra domeſticos: tamen negare non licet, quin Pharmacopolæ ſeculares, æquè idonei

ſint,

ſint ad penetrandum ius Religioſi Pharmacopolæ, quàm eſſent imbecilles illi ex Hebraiſmo Neophiti, ad penetrandum ius Neophitorum è Gentiliſmo, comedentium carnes communes. Vt enim illos obcæcabat amor molitorum vſuum, & affectus in legem Moyſi, cui à pueris aſſueuerant; Ita externos Pharmacopolas, exoculat ſui & familiæ amor, cui vident ea Pharmacopolæ. Religioſi negotiatione ſubduci lucrum, & ſperatos laborum fructus intercipi. Iuuatque eorum obcæcationem, legum Eccleſiaſticarum Religioſis negotiatione indicentium, (ſi ita placet,) non ſatis perſpecta ratio. Item inde illis incraſſantur corda, quod Religioſi aliis pleriſque opificiis ad alios negotiatores pertinentibus abſtinent, in quæ æquè inuolare poſſent, ac in iſtud medicamentorum conficiendorum, ac diuendendorum. Tandem illud quoque oculos eorum offundit, quod videant paucos admodùm Religioſos huic mercimonio dare operam. Cæterorum namque tam multorum abſtinentiam, interpretantur iudicium de culpa aut indecentia talis negotiationis per Religioſos obitæ. Itaque in paucos illos quos vident huic ſuo mercimonio addictos, vſurpant illa Senecæ l.3. De Benef.c.17. [Indixiſtis pecuniæ odium, hoc profeſſi eſtis, hanc perſonam induiſtis; Agenda eſt. Iniquiſſimum enim eſt, vos pecuniam ſub gloria egeſtatis acquirere.] Hæc ſunt quæ externis Pharmacopolis, ſpiritu infirmis ac puſillis, offenſioni ſunt & ſcandalo; quæ an videri debeant minoris momenti, quàm ea ob quæ Apoſtolus aduerſùs ſcandalum imbecillibus ex Hebraiſmo Neophitis propter carnes datum, tantoperè concitatur, nolim certò definire. Videntur tamen non diſparia aut

inæqualia. Et vix proferetur euentus, aptiùs respondens ei pro quo declinando tantoperè laborauit Apostolus, & æquè ex charitate declinandus. Quod si ita est, concluditur manifestè & validè, Pharmacopolæ Religiosi negotiationem, esse contra proximi charitatem, & eo nomine esse auersandam. Nam id Apostolus, de carnium comestione ad auertendum infirmi fratris offendiculum, planè concludit. Adhibuit hanc argumentationem contra negotiationes Cisterciensium, Iustus Abbas serm. ad Abbates de sui Ordinis Cisterciensis collapsione, cum per alia, tum nominatim per negotiationes, quarum disertè meminit, semel, iterùm, ac tertiò.

125. Ea item proportione admissa, vrgebit argumentum alterum de laceratione Religiosi nominis per hos quæstus, & spiritui dispendiosa compendia, cui bono nomini super omnia fuerat consulendum. Eius tamen neglectus, non est contra Charitatem, cuius violationem hactenus pressimus, sed est contra Iustitiam; quia impetit famam Religiosi Ordinis; cuius iuri non potest renunciari à Religioso, vel etiam à toto cœnobio, aut à toto ordine, quia ius illud non est vnius particularis aut Religiosi, aut cœnobij, aut Ordinis, sed nectitur cum iure omnium aliarum Religionum. Sicut ius quod per adulterium alterutrius coniugum violatur, eiusmodi est, vt nequeat ei renunciari à coniuge læso v. g. à viro, quantumuis vellet vxori lenocinari: quia complicatur cum iure omnium maritorum, quorum status, & ius in eo statu fundatum, violatur inabdicabiliter per adulterium. Porrò ius illud aliorum Religiosorum Ordinum, nexum cum iure parti-

particularis Religiosi, vel Ordinis cui adscribitur, violari per negotiationem Pharmacopolæ Religiosi; inde videtur monstrari, quod murmurantes, ferè extendere solent lacerationem famæ, de qua agimus, ad vniuersum corpus Religiosorum Ordinum. Sicut S. Augustinus coric.2. in Psal.30. *ad v.14* notat, hostes Christianorum, cùm ex eis quempiam lapsum vidissent, solitos linguarum tela vibrare non in vnum illum lapsum, vel in homines professionis, cui addictus erat inter Christianos, sed in vniuersum planè Christianum nomen. [Quanta mala (inquit,) dicunt in malos Christianos, quæ maledicta perueniunt ad omnes Christianos? Numquid enim dicit, qui maledicit, aut qui reprehendit Christianos, *Ecce quid faciunt non boni Christiani*; Sed, *Ecce quæ faciunt Christiani*; non separat, non discernit.] Similiter S.Chrysostomus hom.7. in Genes. *ferè initio*. [Nihil ita offendit & nocet Religioni nostræ, vt scandali ansam præbere infidelibus. Nam quando vident aliquos è nostris virtute conspicuos huius vitæ negotia & curas è sublimi contemnere; multos ex ipsis malè habet, plerique admirantur, & obstupescunt, quòd cùm eiusdem naturæ nobiscum sint, non concedantur ipsis eadem. Denique quando vident paruum aliquod delictum nostrorum, statim linguam exacuunt simul contra nos omnes, & ex vnius delicto, totam Christianorum gentem iudicant. Neque hoc contenti sunt, sed statim aduersùs caput suum loquentes, ob seruorum delicta, etiam communem Dominum blasphemare audent, & putant velamenta errorum suorum, esse aliorum desidiam.] Non dissimiliter hom.5. ad pop. & hom.3.in 1. Corinth. *in Morali*, ac pulchrè Nyssenus orat.3.

in Orat.Domin. ad petitionem primam. Eadem ex causa Sanctus Gregorius homil.17. in Euangel. Clericum malè se gerentem admonitum voluit, ex eius vitio ipsam Religionis Christianæ æstimationem grauari, quod meritò ducit longè grauissimum.

126. Adhibuit quoque in rem præsentem hoc argumentum Iustus Abbas serm. de Collapsione Ordinis sui Cisterciensis ad Abbates, cum per alia, tùm nominatim per negotiationes, quas tertiùm disertè carpit in suis Monachis. Sic igitur habet sub sermonis initium. [Quamuis gloria nostra hæc sit, testimonium conscientiæ nostræ, tamen lucere debet hominibus lux nostra, vt ipsi videant opera nostra bona, & glorificent Patrem suum qui in cœlis est: ipsa verò opera nostra, tam mera, & sine fuco vanitatis esse debent, vt etiam is qui ex aduerso est, obmutescat, nihil habens mali dicere de nobis. Conuersatio nostra, quantum ad conscientiam, ita ponenda est in cœlis, vt etiam in terris quantum ad opera obmutescere faciamus impiorum hominum ignorantiam. Nam propter ipsas exteriores nostras actiones, quas vident & boni & mali, aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem.] Rursus ad sermonis finem. [Prouideamus famæ nostræ propter nimiam libertatem nostram, iam valdè periclitanti. Caueamus ne nomen Dei per nos blasphemetur inter gentes. Diuitias aggregare, dignitates ambire, negotiationes exercere, vrbana fora frequentare, sine præuaricatione nostri ordinis non possumus.] Et mox. [Ponamus de bona conscientia nihil minui per talia & talia, quod tamen impossibile est. Quid de fama dicemus? Nónne causa

solius

ſolius famæ, illa omnia aut omittere, aut intermittere debemus, vt noſter ordo per nos non blaſphemetur inter gentes? Nam toti mundo patemus nos; apud Chriſtianos, Iudæos, Ethnicos, Agarenos, nominati ſumus. Quid igitur decet nos facere vt ſcandalum tollamus, vt de bona fama bonum præbeamus exemplum? Habemus exemplum de Paulo Apoſtolo, & de ipſo Domino Ieſu Chriſto; non faciendum aliquando, quod non licet fieri, & faciendum aliquando, quod non licet fieri, & hoc totum propter ſcandalum vitandum. Paulus habebat poteſtatem ſororem mulierem circumducendi, quemadmodum alij Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas; ſed noluit, ne quem ſcandalizaret. Habebat poteſtatem, vt Euangelium annuncians de Euangelio viueret: ſed noluit, ne quem grauaret. Dominus autem interrogauit *Petrum dicens: Simon, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis ſuis, an ab alienis? Reſpondit Petrus, ab alienis. Dixit ei Ieſus, Ergò liberi ſunt filij; Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtateram, illum ſumens, da eis pro me & te.* Sed his auctoritatibus, exemplis, rationibus facilè reſiſtunt, qui ex leui occaſione largiores vias appetunt. Quapropter moneo & rogo fratres chariſſimi, vt mundum quem reliquimus, ſub prætextu quarumlibet vtilitatum non reſumamus. Non poſſumus diſſimulare, quia nihil opertum quod non reueletur, & iuxta vulgare prouerbium; *ſi eſt qui faciat, eſt & qui dicat. Aures ſaltus habet, planities oculos.* Itaque arctum & glorioſum iter, quod ſingulari præ cæteris voto, & habitu ingreſſi ſumus, ſingulari præ cæteris ſtudio teneamus,

non redeuntes retrò, nec declinantes ad dexteram vel ad ſiniſtram.]

127. Hæc duo argumenta in ſcandalo proximi fundata, etiamſi Metaphyſicè loquendo poſſent infirmari, tamen non poſſunt aut debent leuia videri iis Religioſis, qui ex ſui inſtituti peculiari ratione, ad nihil frequentiùs & fortiùs impelluntur à Sanctis fundatoribus, quàm vt ædificationi ſeruiant & cum proximorum ædificatione omnia præſtent. Illa quippe ædificatio, non tantùm ſita eſt in executione ſanctorum operum, ſed etiam in remotione offendiculorum, in quæ alieni non incurrant ex mera malitia, quæ nulla tergiuerſatione celari poſſit, cuiuſmodi non videtur eſſe cauſa ex qua Pharmacopolæ ſeculares impingunt in re de qua agimus, præſertim ſi admiratio quæ ex eis ſuperiùs referebatur, cur ſcilicet delecta potiùs ſit à Religioſis ad negotiandum Pharmacopœa, cauſam habeat quæ præter cæteras prætexebatur, copioſiorem videlicet quæſtus materiam: Tunc enim locus eſſet illis gemitibus Nili Abbatis in Aſcetico, cùm præmiſiſſet genium non negotioſum, veterum ſui inſtituti Religioſorum. [Ad eiuſmodi cupiditates erant velut mortui, atque omni ſenſu carentes, adeò vt ne in ſomnis quidem eas viderent. Cùm enim ab initio memoriam eorum abieciſſent, ex quotidiana exercitatione propoſitique conſtantia, talem animi habitum ſibi comparauerunt. Lucernæ profectò erant in tenebris fulgentes, & ſtellæ minimè errantes quæ vitæ ſplendore noctem illuſtrabant, ac veluti portus quidam tuti, qui perfugium facile omnibus à cupiditatum tempeſtatibus oſtendebant. Verùm accurata ac cœleſtis illa viuendi ratio, non aliter quàm imago

imago præ deſcribentium negligentia, paulatim in dies deterior effecta ad ſummam diſſimilitudinem peruenit, & omnino defecit ab exemplari. Etenim qui mundo erant crucifixi, quique huic vitæ renunciauerant, atque homines eſſe deſierant, & deuictis cupiditatibus ad cœleſtium illarum mentium naturam aſpirare contendebant, rurſum ad terrena negotia reuerſi, turpibus occupationibus, rectè viuentium diligentiam inquinarunt; & qui virtute celebres eſſe poterant, propria ſegnitie infames euaſerunt; & qui aratri ſtiuæ manum admouerant, habitum grauem ſeruantes, propterea quod retrò conuerſi ſunt, & ſtudioſè complexi quæ obliuiſci debuerant, apti regno Dei non extiterunt. Neque enim ampliùs apud nos frugalitas ac vitæ ſimplicitas colitur, neque ſilentium & quies quæ vtilis eſt, vt ab antiquis inquinamentis abſtrahamur, ſed negotiorum multitudo quæ ſollicitudinem à recto viuendi propoſito alienam affert, in pretio eſt, & honoris rerúmque terrenarum cupiditati, ſalutaria ceſſerunt inſtituta. Cùm enim omni ratione nos Dominus à terrena ſollicitudine dehortetur, iubeatque vt ſolum cœlorum regnum inquiramus, nos quaſi dedita opera per contrariam viam incedentes, Domini præcepta neglеximus, & reiecta illa cura, ſpem in manibus noſtris collocauimus. Nam cùm ipſe dicat, *Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa*; Et rurſum, *reſpicite lilia campi quæ non laborant, neque nent*; Præterea cùm iubeat, vt neque ſacculum, neque peram ſumamus, ſed ſolo iubentis minimè mendacis promiſſo confidamus, quod Diſcipulis fecit, cùm eos ad benè me-

rendum de reliquis hominibus mitteret, *dignus est* (inquiens) *operarius cibo suo*, quod quidem ad ea quæ necessaria sunt, subministranda firmius est omni nostra sollicitudine; Nos autem nobis minimè temperauimus, quominus, quàm maxima potuimus, agrorum spatia possideremus, ouiúmque greges, & boues aratores, tum pulchritudine tum magnitudine insignes, & pingues asinos coëmeremus: vt agri quidem nobis abundè fruges sufficerent, boues autem tum agriculturæ labores sustinerent, tum cibum nobis ac pabulum sibi ipsis ac reliquis animalibus subministrarent; iumenta verò, vt quæ regioni nostræ aliena conueherent, & victui non solùm necessaria, verùm etiam iucunda comportarent. Quid quod, ex artibus eas delegimus quæ lucri plus allaturæ; quæque cùm omne temporis spatium in se consumerent, ad cogitandum de Deo, otij nihil omnino relinquerent?] Hæc pij quique Religiosi, transfigurantes in se B.Nili sensum & affectum, de inductis in Religiosum statum terrenis negotiis ac mercimoniis ex artefactis lucrosioribus, gementes iterarint, consideratis secularium querelis, & concepto per eos scandalo, de quo ibi non silet B.Nilus.

128. Vtvt verò habeant hæ binæ & aliæ anteriores rationes, Deus iusto iudicio comprobare visus est, quàm non gratum haberet, domum suam fieri domum negotiationis. Vnus quidam qui primus lucri esca illectus, conniuentibus iis quorum erat prohibere, in religiosum cœtum has negotiationes Pharmaceuticas induxit; per hos quæstus & ægrarum visitationes, ac tactus pulsuum, prolusit ad alia; & comprobatum in eo est quod à Petro

Damiani

Damiani Opuſculo 12.c.23. De Religioſis negotiantibus dicitur, dum ex Propheta exhibet, quo tandem deducantur abjiciente Deo. Locus eſt longiuſculus, ſed prolixitatis damnum penſabit vtilitas. [Menti reprobatæ (inquit,) negotiisque ſecularibus inhianti, ſub Babylonis ſpecie per Prophetam dicitur: *Deſcende, ſede in puluere Virgo filia Babylonis, ſede in terra; non eſt ſolium filia Chaldæorum.* Hoc enim loco humana mens, *virgo*, non corrupta, vt arbitror, dicitur, ſed infœcunda. Et quia *Babylon* confuſio interpretatur, rectè infœcunda mens, Babylonis filia vocatur, quæ in eo quod nequaquam bona opera germinat; dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quaſi confuſione matre generatur. Sin autem virgo non infœcunda dicitur, ſed incorrupta, poſt quàm ſtatum ſalutis perdidit, ad confuſionis ſuæ cumulum appellatur quod fuit: Cui aptè per increpationem dicitur diuina voce: *Deſcende*; in alto quippè animus ſtat, quando ſupernis retributionibus inhiat. Sed ab hoc ſtatu deſcendit cum turpiter victus, ſeſe defluentibus mundi deſideriis ſubjicit. Cui benè mox additur. *Sede in puluere.* Deſcendens enim in puluere reſidet, quia cœleſtia deſerens, terrenis cogitationibus aſperſus in infimis vileſcit. Vbi adhuc ingeminando ſubiungitur; *ſede in terra*; ac ſi apertè exprobrans dicat: quia cœleſti conuerſatione noluiſti te tegere, ſub temetipſo proſtratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & neceſſariò protinùs additur, *Non eſt ſolium filia Chaldæorum.* Chaldæi namque feroces interpretantur. Valdè autem feroces ſunt, quia voluntates proprias ſequentes, nec ſuis parcere moribus ſciunt. Ferocia ſunt terrena deſideria, quæ non ſolùm con-

tra præcepta Conditoris, ſed ſæpè etiam contra percuſſionum verbera, duram atque inſenſibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium, ſolium non habet, quia mens quæ ad amorem mundi ex prauis deſideriis naſcitur, atque eiſdem deſideriis obduratur, in eo quòd ſe terrenis concupiſcentiis ſubjicit, ſedem iudicij amittit, nulliq́ue apud ſe ſoliò præſidet, quia examine diſcrepationis caret; quaſi à iudicij ſui ſeſſione repellitur, quia per exterioris deſiderij concupiſcentiam vagatur. Liquet enim quod mens, quæ intus conſilij ſedem perdiderit, foras ſe per deſideria innumerabiliter ſpargit, & quia agere intellecta diſſimulat, cæcatur etiam, vt neſciat quid agat. Et ſæpè iuſto Dei Iudicio, in ſua voluntate relinquitur, & ſub ea quæ anxiè appetit laborioſa mundi miniſteria relaxatur. Vnde & aptè illic ſubditur: *Quia vltra non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, & mole farinam.* Conſtat nimirum, quod terrenæ ſuæ filiæ parentes parcunt, nec duris atque ſeruilibus hanc operibus affligunt. Omnipotens ergo Deus, teneram filiam vocat, quando dilectam vniuſcuiuſque animam à laborioſis huius mundi ſeruitiis auocat, ne dum exterioribus actibus aſſicitur ab internis deſideriis induretur. Sed Chaldæorum filia mollis & tenera non vocatur, quia mens prauis deſideriis dedita, in eo quem anxiè appetit huius ſeculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla ſeruiat, quæ intus Deum, vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere, & farinam molere iubetur. Mola in gyro ducitur, & farina profertur. Vnaquæque autem mundi huius actio mola eſt, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes quaſi per gyrum vertit, atque ex ſe quaſi farinas

farinas projicit, quia ſeducto cordi ſemper munitiſſimas cogitationes gignit.

129. Habet itaque hîc locum illud à S.Gregorio 7. Moral. c.17. in hanc rem expoſitum : *Conſiderate ſemitas Theman, itinera Saba, & expectate pauliſper.* Negotiatores Theman, apud Baruch, negotiatores verò Saba, apud Iſaiam c.45. & alibi celebrantur. Itaque conſiderandi ſunt negotiatores illi, de quibus agimus, & expectandum pauliſper, donec in rete ſe induant, vt S.Gregorius admonet, pérque terrenas ſollicitudines, quibus improuidè ſe implicant, Dei à ſe memoriam expellant; ita vt non tantùm ſub Religioſa veſte ſint aliquandiu ſeculares, ſed denique excuſſo iugo reuertantur ad propria; quod illi contigit quem primùm in quadam Religioſa domo huius generis inſtitorem fuiſſe referebam, [Ignauus nimis eſt, qui poſt exemplum inuenitur incautus.] Sapiens monitum eſt Petri Chryſologi ſerm.79.

§.9. *Sigillatim De Monialium quæſtubus, ac multiplici negotiatione.*

DVplex Monialium negotiatio tacta eſt §.2. *in fine.* Vna quæ exercetur interuentu operis manuum, cui incumbunt: Altera quæ perficitur in admiſſione ſeu ingreſſu in Cœnobium. Prior communis eſt cum pleriſque ſecularibus fœminis, quæ item certo pretio diuendunt varia opificia ſua, & ex eis negotiantur. Poſterior diuerſimodè initur, Nam præter numerationem dotis, ſine qua vix vſpiam puellis patent Monaſteria, præmiſſa vel ante ingreſſum, vel ante profeſſionem, (quod eodem recidit,) pactione de certa ſumma, quæ quod doti connubiali

respondeat, & cum ea affinitatem habeat, *dos* appellatur; præter hanc inquam ferè vbiuis adhibitam pactionem, variis locis adiungitur pactio de sacro quopiam corollario pro sacrario, puta de candelabris argenteis tanti pretij; quale corollarium in profanis venditionibus, vltra mercis pretium, concedi ex pacto solet, *strenarum*, nomine. Nec rarò adiungitur etiam pactio de annua pensitatione, pro totius negotiationis coronide, exhibenda ad vitam Monialis.

130. Prioris ordinis exempla quædam, ad mediam negotiationem in qua versamur, alia ad locationem operæ pertinent. Mediæ quippè negotiationis actus est, ex materia in eum finem coempta, per artificiosam transmutationem conficere inuolucra agnorum cereorum quæ deinde diuendantur, non ratione ceræ consecratæ inibi inuolutæ, sed ratione artificij & materiæ attextæ. Et in hoc negotiationis genere quandiu in artefactis ad Dei cultum immediatè spectantibus sistitur, nihil per se loquendo occurrit, quod reprehensioni meritò pateat. v.g. Nihil apparet incommodi, si Moniales corporalia, aut vestes lineas, quarum vsus est ad sacrum ministerium, coempta ad id necessaria materia, conficiant, & conuenienti pretio distrahant. Et idem erit si opere plumario aut phrygio, ad altarium ornatum, vel sacrificij ministerium conficiant & vendant aliqua. Item si peristromata ad Ecclesiam sternendam sacris effigiebus (vti assolet,) variegata, aliterve concinnata, ad templi decorem contexant atque diuendant. In his enim ac similibus conficiendis, vitatur otium, & cùm referantur ad cultum diuinum, non auertunt operantium animum

mum extra orbitam, ſed quaſi figunt in Deo, cum cuius cultu nectuntur hæc opera. Eorum item venditio, nulli rationabili oblocutioni patet, cùm valdè deceat quæ ad Dei cultum pertinent à perſonis diuino cultui mancipatis confici atque diuendi, ne grauentur expenſis, & irremunerata operæ collocatione, niſi refunderetur pretium. Hæc igitur rata ſunto.

131. At quoad ſimilem negotiationem è profanis mercibus Monialium opera tranſmutatis, idem dicendum eſt, quod de ſimili Religioſorum negotiatione cum S.Baſilio ſupra eſt conſtitutum: (Eſſe enim militiam ſacram à negotiis ſecularibus ſeiunctam, Monialibus & Monachis communem, rectè ſtatuit idem S.Baſilius in Prologo Aſceticorum:) Nempe quod aliquæ tales negotiationes, citra indecentiam, & iuſtam externorum offenſionem, ſaluaque ſpiritus indiuiſione, exerceri à Monialibus poſſint, aliæ non item. Cùm ergo negotiatio talis eſt, vt neque iure communi, neque ſpeciali & inſtituti proprio vetetur, eſtque etiam talis, vt abſque vicinia ad peccati periculum obiri queat, nec animus per eam magna cura & ſollicitudine rerum externarum implicetur; nihil vetat, talem negotiationem à Monialibus ſuſcipi. Cùm verò aliquid prædictorum negotiationem contaminat, abhorrebit ea negotiatio, vt à Religioſis ita & à Monialibus; imò ab iſtis multò magis, quia ob mollitiem ſexus, & maiorem iudicij imbecillitatem, multò magis præcidendæ eis ſunt occaſiones & cauſæ diſſipationis ſpiritus, & auulſionis à Deo. Qua in re locum habere debet prudens arbitrium, & directio prouidi Antiſtitis, & cautio immediati Præpoſiti;

quorum præcipuè erit pensare, quid communis proborum ac rectè sentientium æstimatio ferat circa negotij decentiam vel indecentiam. Magna item ratio habenda erit ædificationis, cui Religiosi vtriusque sexus seruire per omnia debent, vt sint Christi bonus odor in omni loco, præcludatúrque nominis Domini blasphematio & laceratio Religiosi status per seculares.

132. In eodem priore ordine negotiationum per Moniales susceptarum, aiebam esse aliqua exempla, quæ non ad negotiationem, (sicut ea de quibus egimus,) sed ad operæ locationem pertineant. Et eiusmodi planè est quod §.2. Ratione 7. adducebatur de consutis per Moniales linteaminibus multiplicis formæ. Qua in re cùm Moniales non suppeditent materiam, & sectio quoque artificiosa materiæ, ab eo fiat aut curetur qui materiam subministrat, clarum est ex parte Monialium nihil interuenire, nisi nudam operæ locationem ad consuendum. Quoties ergo locatio operæ, neque Ecclesiasticis communibus neque peculiaribus instituti legibus vetabitur, aberitque à periculo peccandi vel dissipandi spiritum, innoxia erit, etiamsi captetur ex ea lucellum conueniens. Sic enim & otium euitari, & consuli cœnobij rationibus poterit. Illicita verò & indecora erit Monialibus operæ locatio, si labes aliqua interueniat ex prædictis capitibus, vel eorum quopiam. Sanè pleraque Concilia interdixere Religiosis locatione prædiorum, & nominatim Lateran. sub Alexandro 3. parte 27. c.1. & 3. & vt loquuntur *firmis*, siue *redemptionibus*. extra grauem necessitatem, vt notant Molina Tract.2. de Iust. Disp.342. concl.5. & Reginaldus l.25. n.325. tantùm quia

quia huiusmodi locationes non benè cohærent cum indiuisione spiritus Religiosis congruente. Igitur omnis similis locatio operæ, æquè debet vetari Religiosis, & multò magis Monialibus, quarum præcipuè est Deo seruire in otio sancto;& vnitati spiritus maximè ac super omnia consulere. Hæc generatim.

153. An verò in particulari illo exemplo locationis operæ ad confectionem linteorum vsualium per Moniales, seruetur an violetur decorum, viderint quorum interest. Duo tamen adiuncta ex iis quæ §.2. ratione.7. referebantur, hanc operæ locationem adducunt in discrimen. Primum est, quod per eam nimio labore suffocetur spiritus, in quibusdam industriæ ac diligentiæ laudem captantibus ex celeri executione pensi concrediti. Hoc verò est mediis finem subiungere, & leuiora principalioribus anteferre. Esseque à Satana eam indefessam sollicitudinem expediendi quàm citissimè externi operis, præclarè docet Cassianus Collat.9.c.6. subiecto cœlesti in eam rem viso. Idem l.7.c.10. ex phylargiriæ morbo hunc affectum deriuat. Nec deest superbiæ ignitabulum, vt ratione illa septima notabatur. Vndecunque verò proficiscatur irrequieta illa & iusto auctior operositas, suffocatrix diuini in nobis spiritus, S.Benedictus c.39.*aliàs* 55. Regulæ,eam damnabilem pronunciat,annuitque S.Franciscus in Regula c.5. Adiunctum alterum eiusdem locationis operæ, (tametsi fortassis vni illi loco de quo agebatur peculiare) æquè vel etiam iustiùs reprehensioni patens, erat multarum puellarum ac fœminarum quibus aliunde ad paranda victui necessaria non suppetit oportunitas, coniectio in necessitatem mora-

lem faciendi corpore quæstum. Ea enim subductio vnici medij ad sibi prouidendum, quamuis non sit contra Iustitiam, seclusa tamen non leui cœnobij necessitate, videtur esse contra charitatem proximo debitam, vt argumentabamur §. superiore. Vnde etiam aptandum est huc argumentum petitum ex obligatione præstandi indemnem famam Religiosi nominis, cui apud seculares per huiusmodi locationem operæ cum secularium puellarum tanto dispendio magna plaga infertur ad omnium Religionum corpora ferè peruadens, vt ex eodem loco est recolendum. Nec licet opponere, quod Moniales velint vitare otium. Quàm multæ enim aliæ viæ suppetunt declinandi otium, etiam per aliquod externum opificium, pertinens ad diuinum cultum, eâ intacta, quam talia adiuncta grauent, & meritò inuidiæ atque odio objiciunt?

134. Claudat hunc locum Origenes hom. 2 in Num. tractans illud *homo secundùm ordinem suum incedat:* quod cùm in eos intorqueat ex Episcoporum & Sacerdotum ac Diaconorum ordine, qui non iuxta gradum & ordinem suum incedentes, faciunt [blasphemare homines; & dicere, *Ecce qualis Episcopus*, *aut*, *qualis Presbyter*, *aut qualis Diaconus:*] Subdit; [Quid autem & de Virginibus dicam, aut de continentibus, vel omnibus qui in professione Religionis videntur? Nonne si quid inuerecundum aut petulans, si quid proteruum, (*adde aut quomodolibet à suis institutis extraneum*) gesserint; arguit eos continuò Moyses & dicit, *homo secundùm ordinem suum incedat*? Agnoscat igitur vnusquisque ordinem suum, & quid dignum sit eo ordine quem suscepit, intelligat, & ita libret actus suos, ita

etiam

etiam ſermonem, inceſſum quoque ipſum, & habitum moderetur, vt cum ordinis ſui profeſſione conueniat, ne audiat dici ad ſe à Deo, quia propter vos nomen meum blaſphematur inter gentes.]

135. Venio ad negotiationem ex admiſſione Monialium. Contra hanc negotiationem fuerunt qui ſeueriùs pronunciarent. Nam Dionyſius Richelius altero librorum de ſimonia latiſſimè contendit, & multorum appoſitis adſcriptionibus firmat, vniuerſam hanc negotiationem, eſſe puram putam ſimoniam. Et cùm pactum interuenit, conſentit Archidiaco.1.q.2. *in principio.* Et Vgolinus Tabula 1. De Simon. c.4.§.1.n.16. Et videtur ita haberi ex 1. Extraua. De Simon. vbi Vrbanus 4. pactionem de hac Monialium dote percellit excommunicatione tanquam Simoniacam. Teſtes quidem auriti apud S.Antoninum 3.p. tit.24. c.67. referunt Martinum V.exemiſſe Moniales tali cenſura: Idémque de aliis quibuſdam Pontificibus refert Nauar. in Summa c.27.n.106. Tamen ſatis ſuperque malignitatis ſupereſt, ſi manet fundamentum cenſuræ, nempe ſimonia quæ eſt peccatum lethaliſſimum, quod huic pactioni ſubeſſe pronunciauit Vrbanus. Et idem viſum eſſe S.Edmundo, poſtea Antiſtiti Cantuarienſi, referunt eius Acta, quibus narratur, virum Sanctum cùm pro collocandis in Monaſterio duabus ſororibus ſuis ſatageret, nunquam adduci potuiſſe, vt vel obolum ea ex cauſa numeraret, quòd ſimoniæ virulentiam in ea pecuniæ annumeratione, & pactione de ea agnoſceret. Idem adſcribitur S.Hieronymo in Regula Monachárum c.5. vbi ſic habetur. [Deteſtabilem ſimoniæ hæreſim, quam communi prauitate Diaboli, Moniales aſſuetæ committunt, etiam

in auditu horreat vestra Societas. Giezi pœna, & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri Christi Vicarij ad Simonem, nunquam de vestris exeat auribus, *Pecunia tua tecum sit in perditionem. Existimasti enim donum Dei haberi pecunia?* Donum Dei est Spiritus Sanctus. Communis mercatorum habet vsus, vt venditio commutetur in melius. Asserit quippe Simoniacus, pecuniam esse præstantiorem dono Dei, cùm id in ipsam commutat. Ad vos venientes sorores, ad sanctas Christi suscipite nuptias gratis: præponatur sanctitas pecuniæ, exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non vtilitas mundi. Nulla omninò pactio, nulla opinio mentis puritatem perturbet, aut præueniat. Beatum sapientia clamat, qui excutit manum ab omni munere, & qui post aurum non abiit, nec sperat in pecunia, quos subuertit Iudicium.]

136. Non videtur prætermittenda narratio quæ eodem Tomo 9. Hieronymi refertur, sub medium prolixissimę Epistolæ Cyrillo Hierosolymitano adscriptæ de miraculis S.Hieronymi. Tametsi enim eius Epistolæ titulus Cyrillum scriptorem ementitur, aliaque habet suffixione digna, vt videre est apud Bellarminum l.De scriptor. *in Hieronymo*, & apud Baronium 30. Septembris, ac Louanienses in censura Tomi 2. Diui Augustini. Tamen quoad rem de qua agimus, nulla vnquam suspicione laborauit; & quicquid sit, sensum saltem Autoris habebimus, in re de qua agimus. Sic igitur eo loco Autor Epistolæ, agens de Monasterio Ducentarum Dominarum apud superiorem Thebaidem.[Multis pollens prædictum Monasterium virtutibus, vnum pessimum quod ruit Simoniæ vitium retinebat. Nam insti-

instigante Diabolo in eisdem Dominabus hæc obseruabatur abusio, vt si quam vellent in Monialem recipere, non tantùm intuitu charitatis & misericordiæ, recipiendæque Monialis bonitate, quantùm recipiebant respectu pecuniæ. Nulla enim Monasterium intrare mansura poterat, nisi certa pecuniæ quantitas secum iret. In hoc siquidem erat Monasterio sanctimonialis quædam Domina, ætate grandæua, quæ ab infantia sua ieiuniis & orationibus, omni terreno resoluta cœno, Deo vixerat, quæ vitium illud quamplurimum abhorrebat. Cui nocte quadam, vt erat solita, in oratione positæ, gloriosus Hieronymus apparens, locum illum immenso illustrans lumine, eidem præcepit, vt ad Abbatissam, cæterasque cœnobij Moniales manè pergeret, nuntians quod nisi à peccato iam inueterato manum extraherent, vltionem subitò expectarent. His dictis disparuit. Perterrita visione insueta Sanctimonialis Domina, quis hic fuerit, iubens talia nuntiari, in seipsa auidè pertractans, totam illam noctem peregit insomnem. Crepusculo diei adueniente, omnes in capitulo Moniales pulsato tintinnabulo congregauit, quibus admirantibus ad quæ forent tanta festinatione in capitulo conuocatæ, sanctimonialis Domina ex earum assurgens medio, quę viderat & audierat, omnibus patefecit. Fit illico ex hoc Monialibus cunctis irrisio: hanc exclamant fatuam, multisque garriunt derisionibus, hanc fortè illa nimia ebrietate somniasse. Illa verò accepta contumelia, patientiæ se scuto muniens, de earum pertinacia nimiùm, sed de sua despectione gaudens, ad solitas rediit orationes, supplicans continuò, ne suis Monialibus quod audierat eueniret. Transactis

igitur diebus decem, nocte media prædictæ sancti-
moniali Dominæ hac de re deuotis orationibus in-
cumbenti, gloriosus iterum apparuit Hieronymus,
eidem vt quæ prius nuntiauerat Monialibus, denuò
intrepidè nuntiaret, allocutione mandauit benigna.
Ad quem illa. Quis, (inquit,) es Domine talia mi-
hi mandans? Hieronymus (inquit) sum. Et ab eiuſ-
dem euanuit oculis. Illa verò ſciens illarum duri-
tiem, quid ageret, quidve diceret, neſciebat. Tamen
malens à Monialibus inſana & ebria reputari, quàm
diuinis contraire præceptis, congregatis iterum
Monialibus, quæ viderat & audierat, voluit inti-
mare. Aſt vt eam aſſurgere Moniales peſtiferæ con-
ſpexerunt, diuini neſciæ iudicij ſibi de proximo
futuri, antequàm verba inciperet, è capitulo cum
magnis cachinnationibus exierunt. Quin tranſa-
ctis inſuper diebus tribus dormienti prædictæ ſan-
ctimoniali Dominæ, glorioſus Hieronymus ineffa-
bili quadam ſocietate vallatus Angelorum, nocte
apparens media, eam excitauit, eique iuſſit proti-
nus, vt de illo exiret Monaſterio, nec ſubitò futu-
ram ſententiam expectaret. Cùm illa verò multis la-
chrymis ſuppli caret ne hoc fieret; glorioſus (inquit
Hieronymus;) ad Abbatiſſam & cæteras pergito,
omni mora poſtpoſita, eiſdem nuntians, quod niſi
pœniteant, hac nocte diuinam ſentient vltionem. Si
autem in ſua permanebunt duritia, ſtatim exiens,
amplius in Monaſterio ne moretis. His finitis abſ-
ceſſit. Hæc igitur ſanctimonialis anxia, plenáque
triſtitiis, Capitulum adiit, & campanam cœpit ve-
hementer, vt ad capitulum accederent Moniales, re-
ſonare. Quo Abbatiſſa de ſomno euigilans, cognoſ-
cenſque ab hac fuiſſe campanam pullatam, cum ira-
cundi

cundia properauit. At vbi illam vidit, diris eam minis increpans, nullum voluit audire verbum, promittens quod nisi cessaret hoc agere, secum amplius in Monasterio non maneret. Cui sanctimonialis Domina, ne tardes quæso agere quæ promittis. Profectò me noscas hoc in loco amplius non mansuram. Gloriosus equidem Hieronymus apparens mihi tantummodo, de hoc statim monasterio futurum iudicium patefecit. Hæc audiens Abbatissa deridere cœpit, hanc existimans vesano capite ista fari. Et Ostiariam conuocans iussit, vt hanc de Monasterio protinus effugaret, mandans eidem, vt aliqua hora sic extra dimissam, postmodùm faceret introire, vt sic ab incœptis operibus iam cessaret. Hac de re læta sanctimonialis Domina, quàm citiùs potuit è Monasterio est egressa, lachrymis transfusa doloribúsque repleta, pro his quæ Monasterio nouerat euenire. Terribilis siquidem Deus fortis ac potens, & quis resisteret ei? heu cur homines eum non formidant, scientes se nullatenus posse ab eius effugere manibus, vt eius eos magnum & inenarrabilē iudicium non comprehendat? Saltem his miseri terreantur exemplis. Audiant qui in suis confidunt diuitiis, quíque in iram excitant excelsum Dominum suæ auaritiæ siccitate, quale huic Monasterio à Deo propter pecunias faciem auertenti, de cœlo est iudicium iaculatum. Penè limen ostij, sanctimonialis excesserat Domina, & subitò totum corruit Monasterium, omnes opprimens Moniales, ita vt ex eis viua aliqua non remanserit. Sanctimonialis verò illa, in quodam venerabili Dominarum Monasterio, quod est apud inferiorem Thebaidem, hactenus sanctitate præcipua, viua manet.

En vltionem diuinam, quæ conuincit interuenisse graue peccatum in proposita pactione & numeratione pecuniæ. Quid autem nisi Simoniæ? Nec sanè aliter perageretur negotiatio, si apertè & clarè esset Simoniaca, quàm nunc peragatur, quantumcumque pallietur, & tituli colorati obtendantur, quibus honesta, & labis expers appareat. Præcedit enim pactio de pecunia in ea quantitate annumeranda, quæ posset esse iustum pretium; subsequitúrque numeratio pecuniæ;& tandem perficitur admissio Monialis sub ea conditione. Quid verò aliud interueniret, si admitteretur liquida & patens simonia? Nec minùs primogeniti Satanæ, veternosi Simonis mangoniam redolet corollarium, & superpondium pretij, nomine præmij ac strenarum obductum: cùm re vera sit pretij complementum: quod in simili, hoc est in propinis, damnatum videtur vt simoniacum cap. *audiuimus* de Simon.

137. Resolutio huius difficultatis, bipartita est adhibenda. Ac primùm non est dubium, quin si animus vel recipientium, vel promittentium aliquid pro admissione Monialis, collimet in dotem (vt vocant,) tanquam in pretium admissioni veluti merci æquiualens, germanissima simonia talem negotiationem contaminet. Nam solus ille animus, etiamsi verba aliud præferrent, satis esset ad mentalem simoniam contrahendam. Nec est inueri simile, impingi hac in parte aliquádo, etiam hoc tempore, quo videmus passim per abusionem non ferendam, de beneficiis Ecclesiasticis iniri conuentiones & pacta, non secus ac fieret de officio seculari venali, aut de prato, aut vinea. Quinetiam quamuis subtilitate & industria Theologiæ accommodatitiæ, non de-

sint

ſint viæ quibus idipſum abſque ſimonia per ambages perfici poſſet, tamen non pauci faſtidientes anfractus & tortuoſas vias, rectà in ſimoniæ barathrum volentes ruunt, ementes conſtituto pretio, beneficia Eccleſiaſtica Chriſti ſanguine perfuſa, atque adeò quouis humano pretio ſuperiora. Quidni ergo ſimiliter inueniri etiamnum poſſint qui talia cogitent, præſertim ex parte parentum puellæ inter Moniales cooptandæ? De illis intelligo quos Hieronymus Epiſtola 8. *miſeros parentes; & non plenæ fidei Chriſtianos* nominat, quibus ſunt deformes filiæ & aliquo membro debiles, quas quia dignos generos non inueniunt, aut ad leuandam familiam, virginitati tradunt, pacti de paruo ſumptu, & qui vix ad alimenta ſit ſatis. His quod ſecundùm conuenta exhibent Monaſterio, perinde eſt, ſiue pretium dicatur, ſiue quomodocunque aliter nominetur. Ipſis certè, æſtimatione pretium eſt: ac proinde indubiè ſimonia inquinatur. Vtinam præterea ex parte accipientium, ſemper pura & nitentia ſint omnia.

138. Poſſe nihilominùs lucrum de quo agimus accedere cœnobio abſque ſimonia, etiamſi pactio de eo intercedat, nimirum ſi cœnobium verè ſit egenum, & quod datur non ſit pretium, ſed conferatur ad puellæ ſuſtentationem, recepta & vera doctrina eſt, quam tradit D.Thomas 2.2. q.100. art.3. ad 4. Et ibi Caietanus, ac in ſumma V. *Simonia* & V. *Excommunicatio* c.73. S.Bonau. in Reg. S.Franciſci q.18. Angelus V. *Simonia* 4. Sylueſter eodem q.15. Tabienna à n.63. Nauarrus q.1. De Redd. Eccleſ. monit vltima n.2. Soto l.9. De Iuſtit. q.7.art.1. Roder.4. 2. De Regul. q.49. art.1. Suares l.De Simon.

c.17.à n.6. & 4.5.3.p.d.22.ſ.5. Philiarcus 2.p.de offic. Sacerd.l.6.c.7. Reginal.l.23.n.193.Eſtque nunc communiſſima ſententia generali vſu firmata, quam à Clemente 7. innoxiam & labis puram eſſe declaratam, refertur in compendio Priuileg.Mend.V.*Moniales*. §.vltimo. Ratio eſt,quia neque iure poſitiuo ea pecuniæ receptio in admiſſione puellæ ad Monaſterium & ſimoniaca, quaſi Eccleſia intuitu Religionis interdixerit ea receptione: Nulla quippe talis prohibitio lata reperitur, vt Suares c.illo 17. à n. 13. latè proſequitur; vel ſi aliquando eſt lata, exoleuit per contrariam conſuetudinem ſilentibus aut annuentibus Pontificibus inductam. Neque etiam ea receptio ſimoniaca eſt iure naturali. Aliud ſiquidem eſt, in ingreſſu Monaſterij dare aliquid tanquam pretium, quod ſine dubio ſorderet ſimonia: aliud verò conferre per eam occaſionem aliquid in eleemoſynam, vel ad teſtandam beneuolentiam erga puellam,vel titulo ſuſtentationis. Sicut Sacerdos cui ob ſacri celebrationem numeratur ſtipendium, non accipit illud in pretium ſacri, quā ratione immanem ſimoniam admitteret: ſed accipit titulo ſuſtentationis, vt viuat de altari qui altari deſeruit, quod dignum & iuſtum eſt. Item maritus qui ducendo vxorem accipit dotem, non accipit dotem in pretium ſacramenti matrimonij quod cum ea muliere init; ſed accipit ad ferenda matrimonij onera, & ad ſuſtentationem vxoris & familiæ quam conuehit. Idem igitur cernitur in re præſenti. Nec pactum quod ſuperadditur, vitiat receptionem nullo iure vetitam: quia vt benè ratiocinatur Caietanus 2.2.q.100.art.3.cùm pactio illa præciſè cadat in rem, vt eſt ſubſidium neceſſariæ ſuſtentationis, non cadit in ma-

in materiam simoniæ. Vnde ergo hauriret labem simoniæ? Nec malè pactum illud in ingressu ad probationem, vel saltem ante professionem initur, quia alioqui parentes & cognati, puella iam exonerati, eam facillimè obliuiscerentur. Nam vt obseruat Philiarcus supra §. *est autem*, seculares, ex quo puellas cœnobio intruserunt, vix solent de eis iuuandis esse solliciti, nisi si agatur de confusione aut seditione excitanda in Monasterio, cum ob procacitatem aut irreligiositatem sunt castigandæ; vel si earum ambitus sit confirmandus. Itaque negotiatio hodierna Monasteriorum in Monialium admissione, liberatur graui illa accusatione, quæ ei initio impingebatur à Cartusiano, & aliis allegatis.

139. Quin etiam contra D. Bonauenturam in Apologetico pro Regula S. Francisci q. 18. ea negotiatio pronuncianda est pura labis simoniacæ, qua interdum puellæ ob cœnobij paupertatem recipiuntur ob dotem. Hoc D. Bonauentura damnat simoniæ. Distinguit enim quadruplicem modum quo persona cooptari potest in Religiosum cœtum. Primùm valdè sanctum, quo persona nihil prorsus afferens, admittitur pro Deo. Secundum bonū, quo persona admittitur cum pecunia, sed non pro ea, quia æquè reciperetur. Tertium item bonum, qu persona ob domus egestatem non reciperetur sine pecunia, sed tamen non recipitur pro pecunia: quia si eius sustentatio aliunde domui suppeteret, æquè reciperetur. Quartum quem ait esse simoniacum, & à plerisque egenis Monasteriis contrahi dicit, iuxta illud Siracidæ cap. 27. *propter inopiam multi deliquerunt*; quo persona recipitur pro pecunia, quia absque ea non reciperetur vllo modo, etiamsi aliunde sup-

peterent cœnobio necessaria ad puellæ sustentationem. Hanc S. Bonauentura, ait esse apertam venditionem consortij spiritualis societatis pro pecunia, quod est simoniacum. [Et hoc plerique (ait S. Doctor) faciunt etiam ex mera inopia, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent vt eorum inopia repareretur, vel debita contracta soluerentur, vel bona concupita emerentur, vel ædificia construerentur.] Idem censuit Innocentius 8. in quodam responso dato Monialibus S. Claræ, quod refert Rodericus Tomo 2. qq. Regula q. 49. art. 1. Sed fuit responsum eius, vt Doctoris priuati. Nam si ei standum esset, mirum quantum simonia, non per Parthenones modò, sed etiam per virorum cœnobia grassaretur hoc tempore. Quotidianum quippe est, vt personæ alioqui inidoneæ, & quæ nullo modo admitterentur si venirent absque pecunia, admittantur tamen, si pinguem aliquam summam deferant. In quo tametsi potest aliter peccari, nihil tamen necesse est cerni simoniam, si ea summa nec detur, nec petatur vt pretium, sed tantùm interueniat vt motiuum superandi difficultates ex admissione talis personæ inferendas. Sicut Maritus qui mulierem deformem, quam alioqui nullo modo duceret, constituta dote pinguissima lubens ducit, non est simoniacus vendendo sacramentum matrimonij, licèt ineat coniugium ob pecuniam, sine qua non iniret illud; quia illud *ob pecuniam*, non designat pretium contractus sacramentalis, sed motiuum superandi difficultates, ab eo ineundo retracturas. De notione illius modi loquendi, *propter pecuniam*, vel *ob pecuniam*; nunc sonante pretium simoniacum, nunc indicante duntaxat finem absque simonia,

ple-

pleniùs agunt qui ſimoniæ crimen excutiunt. Itaque quamuis Monaſterium locuples, recipiendo puellam ob pecuniam, poſſit turpitudine ſimoniaca contaminari; iuxta ea quæ mox ſubjiciam; tamen præcisè quia ob pecuniam recipit, non contaminatur ea labe: quandoquidem Monaſterium egenum, etiamſi ob pecuniam recipiat, purum manet. Poteſt igitur (vt dicebam,) admitti puella, conſtituta ei certa dote ex pacto abſque ſimonia. Et ita iam olim fuiſſe non receptum habetur in vita S. Ioannis Eleemoſynarij c. 23. cum de Monacho colligente eleemoſynas, vt poſſet puellam collocare in Monaſterio.

140. Attendendæ tamen & exactè ſeruandæ ſunt conditiones quas proponebam. Nempe vt Monaſterium ſit egenum, nec plus accipiatur, quàm præcisè ferat ſuſtentatio vnius puellæ, alioqui acceptio erit ſimoniaca, ſin minus nudo iure diuino & naturali, at ſaltem ſuppoſito iure Eccleſiaſtico ex. cap. *quoniam*, De ſimonia. Scio Sotum l. 9. de Iuſtit. q. 6. art. 2. & Philiarcum 2. p. l. 6. c. 7. *ſub finem*, contrarium ſentire, exiſtimantes Monaſterium locuples poſſe accipere quod neceſſarium eſt ad puellæ ſuſtentationem. Sicut Sacerdos aliunde copioſus, poteſt ex altaris miniſterio accipere ſuſtentationem ſuam, abſque ſimonia. Sed quod dixi multis confirmatur à Suare tit. 5. 3. p. d. 22. ſ. 5. à num. 10. & lib. de Simon. cap. 17. num. 9. Et ratio eſt, quia Eccleſia intuitu Religionis, & ne conſortium ſpirituale, ac ſtatus perfectionis acquirédæ videretur ſubjici pretio, edixit, vt bona Monaſterij gratis conferrentur in ſuſtentationem perſonæ, quæ in illud cooptatur. Si igitur collocatio talium bonorum vendatur; (vt ſanè fit, ſi perſona non admittatur ad fruendum

bonis illis absque pecunia) non modò admittetur iniustitia, (quod vnum concedit Reginal.l.23.num.193. estque ex natura rei perspicuum;) Sed etiam admittetur simonia, saltem supposita Ecclesiæ prohibitione, quæ ius adimit Monasterio percipiendi quicquam ob admissionem ad participationem bonorum communium, siue ad sustentationem ex eis habendam. Igitur si monasterium locuples, dicatur pro admissione aliquid accipere titulo sustentationis, titulus est vanus atque confictus: reuera autem titulus accipiendi non potest esse, nisi admissio ad sustentationem ex bonis Monasterij accipiendam, quæ est aperta simonia, qualis esset eius qui diceret se gratis conferre beneficium, sed accipere pretium pro fructibus. Affine exemplum est, eius qui diceret se à mutuatorio accipere vltra sortem titulo sustentationis, non titulo mutui, quod nemo negauerit continere veram vsuram. Vt igitur pro puellæ cooptatione in Monasterium, siue in ingressu primo, siue in professionis emissionè, aliquid accipi possit; necesse est, vt Monasterium aucto numero puellarum iam admissarum, vel quas admittere consilium est, non possit præ egestate istam de qua agitur sustentare absque hoc subsidio, quæ erat prima conditio, quam dicebam obseruandam.

141. Non posse autem plus accipi, quàm exigatur ad commodam vnius puellæ in tali statu sustentationem, quæ erat conditio altera; rectè asseritur à Nauarro suprà & à Suare c.illo 17.num.14. & disp. illa 22.num.12. nec non à Roderico Tom.2.qq.Reg. q.49.art.1. Et ratio est, quia ea sustentatio est solus titulus iustè paciscendi aut accipiendi occasione

ingressus

ingressus vel professionis, (quod in hoc negotio eodem recidit.) Si ergo plus aliquid accipiatur, non accipietur titulo sustentationis sed ob admissionem in Religionem, quæ esset vera simonia. Vnde simoniacum est plus petere pro aliqua puella, quia est obscuris natalibus, vt Rodericus suprà rectè notauit. Item quia ædificatio noui Monasterij non comprehenditur ambitu sustentationis puellarum primi Monasterij, simoniacum est, à puella admittenda in illud primum Monasterium aliquid exigere vt suppetant sumptus ad nouum Monasterium in eadem vrbe aut in alia ædificandum, etiamsi ipsa non sit in illud nouum Monasterium cooptanda. Ad hæc quia corollarium illud dotis de quo suprà V. G. munus pro sacristia, ægrè potest reuocari ad sustentationem, periculum est ne pactio de eo munere sit simoniaca. Suares sanè lib. De Simon. cap. 17. nu. 16. existimat talia dotis superpondia, Estrau. 1. De Simon. percelli excommunicatione ipso facto incurrenda, & summo Pontifici reseruata. Nam ibi Vrbanus 4. præter cætera vetat intuitu ingressus puellæ, *quoscunque pastus, seu prandia, pecunias,* (nempe ad modum distributionum) *iocalia, aut res alias, etiam ad vsum Ecclesiasticum, seu quemuis pium vsum deputata, seu deputanda.* Quibus verbis excindi videntur munera, veriùs extorsiones pro sacristia, aut valetudinario, supra dotem exacta ex pacto. Quod tamen ad *prandia* attinet, non excluditur moderata Collatio pro solennitate iuxta consuetudinem. Talis enim collatio facilè potest ad sustentationem reuocari, nec sublata est à Tridentina Synodo sess. 25. cap. 16. De Reform. cùm sub anathemate vetuit dari quicquam Monasterio præ-

ter Nouitiæ victum. Quod ergo Vrbano displicuit, fuit sordidus modus extorquendi ea prandia, qui valdè improbatur, cap. *audiuimus*, & cap. *Tua nos*, & cap. *quoniam, de Simon.* Facilè sanè est, vt ex his dotis superpondiis, cùm non dantur ex pura & plena beneuolentia, putor aliquis simoniacus inhaletur.

142. Hîc conueniri velim conscientias Præfectarum Monasteriis, & eorum qui Præfectas & Monasteria dirigunt; vere ne ob egestatem Monasterij, ad vnius puellæ candidatæ sustentationem impotentis, petantur, (veriùs extorqueantur) præter pinguem dotem, varia præmia, etiamsi numerus Monialium, iuxta Constitutiones aut habitationis commodæ qualitatem expletus sit, nec de pluribus excipiendis, vel amplificando Monasterio fortè iam satis dilatato cogitetur. An verò ad ingluuiem nunquam exsatiandam referenda sit ista petacitas. Quid enim dicemus de quibusdam Monasteriis Regia munificentia ante multa secula opulentissimè fundatis, nec modico censu potientibus, in quæ tamen hodieque, nulla admittitur puella, quin dotem afferat propè sufficientem ad eius collocationem in matrimonio natalibus congruente? An Deus maledicit bonis per cupiditatem nulla vnquam mole explendam comparatis; Ita vt quod Aggæus de frugibus contempto numine comportatis denunciabat comedentes non essent ex eis satiandi? Non videtur dubium, quin si decreta Ecclesiastica de manibus hac in parte seruandis planè puris, executioni mandarentur, benignè faceret Deus in bona voluntate sua Cœnobiis, prouideretque Antistitas, & alias census Cœnobij administras adeò industrias, vt absque his fœdis negotiationibus

bus fieret pax in virtute Domini, & abundantia in turribus eius. Considerent, quorum interest.

143. Patere denique ex dictis potest, quid pronunciandum sit de annuis pensionibus vitalitiis, quas Monialibus ex pacto pendi, plerisque locis inualuit consuetudo. Nam si tales pensiones necessariæ sint ad puellæ sustentationem, quia vel alia dos illi non est constituta, vel tam tenuis, vt egeat hoc supplemento; Tunc nihil vetabit pensionem cœnobio ex pacto deberi àc pēdi. Salua item subordinatione ad indemnitatem paupertatis necessaria, potest pensionis illius dispensatio permitti Moniali. Ita benè multi quos profert ac sequitur Diana Tract. De Paupertate Religiosa, resolut. 32. ac etiam Suares Tomo 4. De Religio. Tract. 9. lib. 1. cap. 12. num. 2. Rodericus tit. 3. quæst. 29. art. 12. Basilius Poncius quæst. 9. Scholast. ca. 4. Et Sanches lib. 7. In Decalo. cap. 21. & alij quos profert nu. 11. Et ratio est, quia supposito quod desint Monasterio reditus sufficientes ad prouidendum necessaria victui & vestitui, ac sanationi puellæ si ægra fiat; supposito item quod per dotem non sit sufficienter prouisum puellæ; pensio annua pertinet ad sustentationem necessariam, æquè ac dos de qua superiùs. Ac proinde non potest ea pensio improbari; iis tamen semper saluis quæ Conc. Trident. sess. 25. cap. 2. De Regul. seruanda hac in parte mandauit. Si verò puellæ sufficienter sit prouisum, per dotem quæ ad eius commodam sustentationem sit satis; non apparet quomodò pactio de pensione annua præterea danda, purgari possit labe simoniæ. Deest enim titulus sustentationis. Et cùm interueniat pactio, abest titulus donationis liberalis. Itaque

titulus pensionis illius, est admissio in Religionem, quæ est lepra simoniaca. Meritoque talis receptio verbo Goffridi Vindocinensis l. 2. Epist. XI. dici queat *nauicularia*, quia fit pro naulo: (sicut in simili D. Augustinus serm. 1. de communi vita Clericor. negat se voluisse sincere, vt Dei Ecclesia esset nauicularia) vel *institoria*, vt loquitur Hildebertus Epist. 1. quia continet mercimonium quod in tali materia improbatur.

144. Abscedamus, relictis foris fatuis Virginibus. Huiusmodi namque esse Moniales, quæ Virginitatis professæ decus contaminant stercore auaritiæ, autor est S. Chrysostomus homil. 9. de Pœnit. Vbi erubescit quod tales aliquę sint Deo sacrę Virgines. [Pudet me (inquit) & rubore confundor, & lachrymis, Virginem stultam audiens. Erubesco cùm audio nomen, post tale virtutis luctum, & virginitatis studium. Vbi in cœlum euolarant, vbi ad ipsas superiores virtutes certamen habuerant, laborésque superauerant, vbi ipsam voluptates conculcauerant; Tunc insipientes, & iure insipientes, quod maius cùm vicissent, à minore victæ sunt;] nempe ab auaritia. Et inferiùs post expositam elegantissimè eminentiam Virginitatis professæ, conuerso ad Virginem sermone; [Multo (inquit) rubore digna es. Voluptatem debellans, pecuniæ succubuisti. Virgo quæ vitæ renuncians, mundo crucifixa, pecuniam amas. Vtinam virum desiderasses, idque minùs criminandum fuerat: Nam eiusdem substantiæ rem, ac materiam desiderasses.]

§. 10. Conclusio

§. 10. *Conclusio.*
De pia & prorsus irreprehensa Regularium negotiatione.

HACTENVS pro viribus affuso rationis & autoritatis lumine, conati sumus collustrare, atque adeò dispellere negotium perambulans in tenebris. Sic enim S. Bernardus serm. 6. in Psal. 90. turpes quæstus, quantumuis boni specie obductos, nominat. Nunc in hac meta pro laboriosa & fructus vacua negotiatione, attingendam suscipio eam quam Naz. Orat. De S. Cypriano, vocat omnium optimam & quæstuosissimam, cui meritò omnes quantumuis Religiosi dent operam, repellendi à viro nobili, si ferientur, nec illud eius iussum expleuerint Luc. 19. *Negotiamini dum venio.*

149 Et deficit quidem Religiosos ea negotiatio quæ fit per eleemosynam & erogationem materialium facultatum in egenos. Quam esse negotiationem quæstuosissimam, ait S. Chrysost. hom. 33. ad pop. Nundinas vocat hom. 5. De Pœnit. Scitè D. Augustinus serm. 43. De diuers. cap. 10. ait, id esse *facere traiectitium.* Consonatque S. Paulinus Epist. 43. qui eleemosynam splendidissimè collaudans, ait [hanc esse mensam cœlestis Trapezitæ, thesaurum vitæ struentem, & ad margaritam negotiandam Dei fœnus exercentem.] Nullus Religiosus priuatus huic negotiationi idoneus est; quia argentum & aurum non est illi: Tamen eatenus concurrere ad hanc negotiationem potest, quatenus est terminus argitatis secularium, quorum stipe sustentatur cœlobium. Quæ negotiandi opportunitas pro insigni

Dei beneficio habenda eſt, quippè prouiſa à Deo, vt diues hac negotiatione diteſcat. [Viciſſitudine quadam (ait S. Paulinus Epiſt. 12.] copiæ vel inopiæ humanum genus temperatur, quod in illo inferno diuite, & ſupremo paupere Euãgelicus ſermo pateſcit: vt intelligamus conſilium communis Auctoris, quo diuitem pauperi, & pauperem diuiti præparauit, vt abundans egenti ſubſtantia alimoniæ ſit, & opulento inops materia Iuſtitiæ; vt fiat (ſicut Apoſtolus dixit) æqualitas, & in illo ſeculo repenſanda illis egeſtate præſenti opibus æternis, redundet illorum abundantia ad inopiam noſtram, ſi noſtra iſthic abundantia ad illorum indigentiam commodauerit. Seminemus ergo illis carnalia, vt metamus ab illis ſpiritalia. Laboret nunc de terrenis manus, vt tunc de cœleſtibus anima reficiatur. Spes præſens ædificet rem futuram. faciamus iſtic tecta, quæ nos illic tegant: paſcatur iſthic pauper, vbi me diuite eget, vt me illic paſcat, vbi me egente ſaturabitur. Videte commercium ſpiritale, & ſi poteſtis negate nos auaros, qui terram vendimus & tributum, vt immunitatem regni cum æternitate coëmamus.] Verè ſpiritale commercium quæſtuoſiſſimum, quo pro terra cœlum rependitur, & pro rebus nihili, merces æterna. [Quid enim? (aiebat S. Bernardus Epiſt. 24. Guillelmo Londonienſi, qui in pauperes omnia diffuderat.) Diſperſiſti, dediſti pauperibus, ſed pecuniam. Quid verò pecunia eſt, ad illam quam pro ea commutaſti iuſtitiam? *Iuſtitia*, (inquit) *eius, manet in ſeculum ſeculi.* Num ita & pecunia? Quæſtuoſum ſanè honeſtúmque commercium: illam quæ præterit pro illa dare quæ permanet. Sic

ſemper tibi negotiari detur, bone & omni laude proſequende Magiſter.] Sed de hac negotiatione, ſecularium maximè propria, in Religione autem ad ſolos Præfectos attinente, non plura hoc loco.

146. Hærendum verò eſt in ſpirituali illa negotiatione, quæ eſt omnium Religioſorum, etiam priuatorum, communis. Hanc negotiationem, pro duplici Religioſorum ſtatu, duplicem diſtingui poſſe video. Nam eorum aliqui vi proprij inſtituti, non ſibi ſolùm ſed etiam proximis laborant; alij ſibi tantùm negotiantur. Aliqui inquam propriæ duntaxat ſaluti & perfectioni, dant operam: Alij à Deo vocati ſunt, vt præter propriam ſalutem & perfectionem, cuius prima ſemper omnibus eſſe cura debet, in ſalutem quoque & perfectionem proximorum incumbant, ſermone præſertim & prædicatione. [Collatio enim ſermonis, vt pecuniæ, magno eſt vſui, atque ea maximus in commune emolumentum negotiationis profectus paratur.] Verba ſunt S. Ambroſij lucubratiuncula in Exodum, vbi *collatio*, pro Synallagmate, ſiue commercio ſumitur, eſtque non mercatoria.

147. Negotiatio eorum, quos proprium inſtitutum ad curandam aliorum quoque ſalutem adſtringit, æſtimanda eſt non ex ipſorum duntaxat damno ſi oſcitanter obeatur, ſed etiam ex diſpendio Eccleſiæ, & animarum quas Deo lucrari oportuerat. Hoc verò diſpendium, cui auertendo Chriſtus Dominus pretioſiſſimum ſanguinem fudit, tanti eſt, vt meritò ſcrupulum omnibus per quos accidit mouere debeat: quali angebatur S. Gregorius hom. 17. in Euang. *ſub finem*, cùm diceret. [Penſemus ergo qui vnquam per linguam

nostram conuersi, qui de peruerso suo opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis auaritiam, quis superbiam declinauit? Pensemus quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit, *Negotiamini dum venio*: Ecce iam venit. Ecce de nostro negotio lucrum quærit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot eius conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illũ tantæ districtionis diem, quo Iudex veniet & rationem cum seruis suis quibus talenta credidit, ponet. Ecce in maiestate terribili inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tantùm examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur; & vnusquisq; quid sit operatus, ostendetur. Ibi Petrus cum Iudæa conuersa quã post se traxit, apparebit. Ibi Paulus (vt ita dicam,) mundum ducens. Ibi Andreas post se Achaiam. Ibi Ioannes Asiam, Thomas Indiam in conspectum sui Iudicis conuersam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditam gregem trahunt. Cùm igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni Pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad dominum nostrum post negotium vacui redimus?] Est quod quilibet huiusmodi negotiator, ad tam præstantem, tamque Deo animas amanti gratam negotiationem vrgeat & stimulet sese, exemplo Apostolorum, quos S. Augustinus serm. 29. De Sanctis vocat *Splendidissimos negotiatores*. Strenuissimè enim sunt negotiati

tiati; & ratione eorum, Mulier fortis S. Ecclesiâ gustauit & vidit quod bona esset negotiatio. Sed potentissimum præ omnibus est exemplum Christi; qui tantoperè laborauit ea negotiatione quam ad nos lucrandos cum Patre iniuit. Quis enim Dominum in quæstu ànimarum adeò negotiosum agnoscens, torpere sustineat? Videsis quæ §. 2. ratione 9. dicta sunt, De Christi, ac ipsius etiam Dei negotiatione, vt simus lucrum Dei, quod est summum & vnicum bonum nostrum.

148. Iisdem exemplis maximè prætereà vrgemur ad negotiandum salutem nostram, quæ cuiuis nostrum præ cæterorum omnium salute, debet maximè chara esse. Expendebat in hanc rem Christi labores S. Bernardus serm. de quinque Negotiationibus. [Verbum Patris (inquit) Vnigenitus Dei filius, Sol Iustitiæ, summus ille negotiator, de vltimis cœlorum finibus nostræ redemptionis pretium apportauit. Fidelis ista negotiatio & omni acceptione dignissima, in qua Rex filius Regis efficitur negotiatio, aurum pro plumbo tribuitur, pro peccatore donatus est iustus. O quàm indebita miseratio, quàm gratuita & sic probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo, quàm inuicta mansuetudo, quàm vilis negotiatio, vbi filius Dei pro seruo traditur; pro creatura creator occiditur, pro mancipio Dominus condemnatur. Tua sunt hæc Christe opera, qui de lumine cœli ad tenebras inferni, à dextra maiestatis ad miseriam humanitatis, à gloria Patris ad mortem crucis descendisti, infernum illustrando, hominem redimendo, superando mortem & mortis auctorem. Vnus es,

& ſecundum non habes; quem ad nos redimendum propria benignitas inuitauit, miſericordia traxit, veritas quâ te venturum promiſeras compulit, puritas vteri virginalis ſuſcepit ſalua virginitatis integritate, potentia eduxit, obedientia in omnibus deduxit, patientia armauit, charitas verbis & miraculis manifeſtauit. Abſint procul negotiatores terræ Theman, recedant filij Agar, qui exquiſierunt prudentiam. Elongentur à me Gigantes à ſeculo nominati, qui ab initio fuerunt ſtaturâ magnâ, cientes bellum. Non hos elegit Dominus, neque viam diſciplinæ inuenerunt, propterea perierunt, ſed dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Abſcondiſti enim hæc Domine à ſapientibus, & prudentibus, Gigantibus & nominatis, qui magni facti ſunt videlicet in oculis ſuis, & reuelaſti ea paruulis & humilibus tuis. Libenter amplector negotiationem tuam, quia negotium meum eſt. Hæc mercimonia cum ſumma ſuauitate ruminat anima mea. Non ſolùm autem ruminat, ſed & reuocat ruminationem tuam, quia & intelligit quæ diligit, & commendat memoriæ quæ elegit. In his negotiationibus præcipis eſſe animam meam, vt fiat nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum: negotiatur donec venias, venienti lætus occurram; & vtinam audiam, *Euge ſerue bone*, Tui ſunt cœli, & tua eſt terra, in regionibus tuis negotiabor igitur ſecurus, te ſolum habens in itinere ducem, in periculis protectorem, conſortem in tribulatione.] Percurrit quinque regiones in quibus celebrantur nundinæ, eſtque fructuoſæ negotiationis vbertas. Leguntur iſta ijſdem ex parte verbis, & eadem prorſus ſententia, apud Petrum Damiani

Damiani ferm. De S. Nicolao, qui eft numero 59. Concluditur verò apud S. Bernardum in hunc modum. [Cùm ergo mente perceperis tam pretiofas nundinas, mercimonia tam præclara, conftrue farcinam tuam, amorem Dei. Vidifti regiones, animaduertifti nundinas, farcinam conftruxifti, & beatus es. Negotiare ergo dum veniat Dominus Deus tuus, vt ei dicere poffis; *Domine quinque talenta tradidifti mihi, eccè alia quinque fuperlucratus fum*, & audire merearis, *Intra in gaudium Domini tui.*]

149. Hæc negotiatio omnibus fecularibus, & vtriufque fexus Religiofis eft confentanea, fed maximè Religiofis & facris Virginibus. Tantùm enim abeft, vt ab hac negotiatione arceantur interdicto vllo Ecclefiaftico, vt potiùs non aliam ob caufam vetentur implicari negotiationi bus fecularibus, quàm vt ifti diuinæ & fupernaturali denoperam, pertentantes omne genus induftriæ, vt verum ac fummum lucrum confequantur. [Sicut enim (ait ad Monachos fuos S. Macfarius hom. 33. *ferè initio*) Mercator non vnicum duntaxat lucrandi genus excogitat, fed qua ratione vndecunque augeat & cumulet: & ab hac in aliam traducitur induftriam; & inde aliud iter arripit, ac tranfiliens femper ab eo quod nihil confert, currit ad id quod eft quæftuofius: Haud fecus etiam nos, animam noftram variè necnon artificiosè præparabimus, quoad verum ac magnum lucrum confequamur, nempe Deum.]

150. Præ hoc tanto lucro, nihili effe facienda difpendia omnia, conteftabatur Chriftianos Tertullianus lib. ad Marty. cap. 2. [Etfi aliqua (inquit,) ami-

ſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, vt majora lucreris.] At quod lucrum cum eo conferri poſſit, quo Deus ipſe fit nobis quæſtus ac lucrum?

Hortatur in hunc finem S. Paulinus Epiſt. 4. vt [ſimus naues qui illam æmulemur, quæ Salomoni quondam electum aurum, & opes Tyrias afferebat. Tantò autem ſtudioſiùs & quęſtuoſiùs noſtra negotiatio debet agitari, quantò Rex noſter æternus Ieſus illo temporali Salomone præſtantior eſt. Ecce enim (inquit) major Salomone hîc, qui non conteret nos Spiritu vehementi inter naues Tharſis, ſi illi, bono actu vitæ noſtræ lucrum (quod eſt pretioſiſſimum Deo mercimonium) conuehamus: vt ſuum ipſe pretium accipiat à nobis; quia ipſe eſt marguarita, quam tota ſpiritualis iſtius mercaturæ conuerſatio ſibi nititur comparare.] Vocantur planè ad hanc negotiationem Religioſi ſexus vtriuſque. Eóque ex capite Petrus Damiani Opuſc. 50. *in fine* celebrabat Blancam ex Comitiſſa Monialem, dicens de ea; [Enimverò tanquam perita negotiatrix nundinis intenta vænalibus, proieciſti mundum vt acquireres cœlum; Præueniſti mortem vt ſententiam mortis euaderes, elegiſti pauperiem, vt diuitiarum non pereuntium copiam poſſideres.] Idem Opuſc. 11. cap. 19. pangens encomium vitæ Religioſæ; [O cella negotiorum cœleſtium apotheca, in qua videlicet, illarum mercium ſumma reconditur, quibus terræ viuentium poſſeſſio comparatur. Felix commercium, vbi pro terrenis cœleſtia, vbi tranſitorijs commutantur æterna. Felices inquam nundinæ, vbi venalis æterna vita proponitur, ad quam emendam etiam minimum quid ſolum ſufficit,

ſufficit, quod habetur. Vbi breuis afflictio carnis, emit cœleſte conuiuium, & exiguæ lachrymæ riſum pariunt ſempiternum; poſſeſſio terrena diſtrahitur, & ad æternæ hæreditatis patrimonium peruenitur.] Negotiatio iſta, initur à nobis cum Deo; rectéque Guerricus ſerm. 4. de Natiu. Dom. cenſuit pudendum eſſe, quòd Religioſorum plerique, quaſi in negotio eſſent circumuenti à Deo, minimúmque illud quod ab eis exigitur, magnum aliquid foret, reſiliant toties à conuentis, eoſque penè pœniteat complaciti, tabulas quoque emptionis iam conſcriptas, propè reſciſſas velint.

151. Quanto æſtu par eſt nos concitari ad hanc ſpiritualem in nobis ipſis ſolam verè quæſtuoſam negotiationem, cùm filij huius ſeculi, qui volunt in generatione ſua prudentes videri, quorum plures ſunt negotiationes quàm ſtellæ cœli, (vt dicitur Nahum. 3. benéque ibi expendit Ribera num. 34.) tanta auiditate tantóque ardore erga ſuas vanas & friuolas negotiationes ferantur, nihil inuenturi in manibus ſuis, cùm dormierint ſomnum ſuum, ac ferè etiam priuſquàm dormiant? Depingit perpulchrè vanos & caſſos horum Negotiatorum labores S. Bernardus ſermone illo de 5. Negotiationibus, his præter cætera. [Aſpicio genus humanum ab ortu Solis vſque ad occaſum, huius mundi nundinas perambulare: alios diuitias quærere, alios honoribus inhiare, alios fauoralis auræ ſuauitate raptari. Sed quid de Diuitijs? Nónne cum labore acquiruntur, cum timore poſſidentur, cum dolore amittuntur? Theſaurizas, & ignoras cui congregabis eas. Vide quantum laborem pro perituris diuitijs aſſumpſiſti. Tranſis maria, & alium tibi aperis or-

bem nauigando, secundùm sapientiam tribus digitis distans à morte: patriam fugis, relinquis parentes, diuelleris ab vxore, filios nescis, & omniũ necessitudinum oblitus, quæris vt acquiras, acquiris vt perdas, perdis vt doleas. *Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Quæ est ista dementia filij Adam, circuire maria, perambulare terras, rapi extra mundum, in laboribus plurimis, in vigilijs multis, in ieiunijs crebris, in mortibus frequenter. Ecce quales diuitiæ. Sed quid de honoribus? in sublimi loco positus es, ducem te constituerunt. Vide si non à Deo iudicandus es, ab hominibus spectandus, ab omnibus lacerandus. Si miles es, excubas ante limina Principis, vt principatum acquiras, & ferrato vestiris amictu, propiores vulneri, quàm honori, morti quàm vitæ, periculo quàm præmio. Si de sorte Domini; Nonne Episcopus Romanum Pontificem, Archidiaconus vel Diaconus Episcopum pertimescit? Vide etiam vtrum excusseris manus tuas ab omni munere, ne cum Simone audias; *Non est tibi pars neque sors in sermone isto, quia voluisti domum Spiritus Sancti pecunia possidere.* Nihil ad nos de Rectoribus Ecclesiæ iudicare, videant ipsi amici sponsi cum de sponsa cœperit exigere rationem, qui iudicat orbem terræ in æquitate. Nunquid in honore sine dolore, in prælatione sine tribulatione, & in sublimitate sine vanitate esse quis potest? Ecce quales honores? Quid autem de gloria? Gloria tibi vnde, fœtide puluis, limus terræ, vas in contumeliam? Non tibi non tibi sed nomini Domini da gloriam: Illi permitte gloriam suam, qui gloriosus est in sanctis suis; Illum lauda, quem laudant

Angeli

Angeli in cœlis. Nunquid & ipſa inanis gloria, quæ nihil eſt aliud quàm aurium inflatio vana, quæ vix haberi poteſt ſine inuidia? Reſpice quos antecedis, & cogita quia omnibus inuidię ſemina præbuiſti. Omnes ergo aduerſum te toruis luminibus inflammantur, tua fœlicitate torquentur, tua vruntur gloria. Ecce vnde glorioſus, inde odioſus; vnde ſublimis, inde humilis: Vnde ſollicitus, inde ſecurus. Vides ergo quàm vanè conturbatur omnis homo. Hæc ſunt mercimonia quæ inueniuntur in regione diſſimilitudinis.] Infert ex caſſo hoc tam multiplicium ſeculi negotiatorum labore S. Bernardus; [Prudens ergo negotiator, qui videt in delicijs laborem, in honoribus pœnam, inuidiam in gloria, facit ſarcinam ſuam, mundi contemptum, & fugit.] Quid fugit? Vtique tam caſſos labores, & eorum materias, quantúmuis ex eis ſperetur quæſtus, reuera tormentum animi continuum, & iugis vexatio.

152. Depretiabat eo nomine negotiationes omnes Eucherius, aurea ad Valerianum Epiſtola, quòd vitam ſemper irrequietam, & vix vitam reddant. Itaque cognatum, quem ad receſſum Religioſum & portum tranquillitatis à ſeculi fluctibus abſtrahere ſatagebat, his præter cætera verbis alloquitur. [Ego tamen deſiderauerim vt hanc (vitam ſeculi negotioſam) pro experimentis ſui habeas vt moleſtiſſimam, atque incertis fatigationibus inquietam, ſicuti eſt, iudices; eámque cum occupationibus ſpernas ac reſpuas. Abrumpatur illa interminabilis ſecularium negotiorum catena, & ille de neceſſitatibus multis, vnus per totam vitam labor. Dirumpamus inanium curarum vincula, quorum

ſuccedentibus ſibi nexibus implicaris, in quibus ſemper occupatio noſtra quaſi incipit. Remoueátur illæ tam vacuæ, quàm cohærentes ſibi cauſæ, in quibus quoad viuitur, ſtudium mortalium, dum ſubinde negotijs inchoatur, nunquam finitur: quarum infatigabilis intentio, iam breuem & arctam per ſe vitam hanc, etiam arctiſſimam reddit: per quæ etiam nunc vana gaudia, nunc acerbi mœrores, nunc anxia vota, nunc ſuſpecti metus veniunt. Abjiciantur poſtremò illa omnia, quæ præſentem hanc vitam faciunt breuem occupationi, longam dolori.

153. Veh eis, qui cùm ſeculi negotiationes aſpernati ſeceſſerint in Religionis portum, vt ſecuri à turbine, procul à fluctibus tranquillam & Deo ſoli negotioſam vitam exegerint, obliti propoſiti, ex ipſo portu reuoluuntur in fluctus. Qui ſeculares negotiationes ritè abiectas malè reſumentes, contra diuinum mandatum Domum Dei faciunt domum negotiationis. [Fit Religio domus negotiationis (ait De Folieto lib. 1. De Clauſtro Animæ cap. 8.) quando pro ijs quæ agimus, humani fauoris forum frequentamus, & ibidem ementes ac vendentes, laudem pro opere, quaſi ſtulti mercatores recipimus.] Fit Religio domus negotiationis, cùm per priuata munera tentatur aditus ad publica. Fit Religio domus negotiationis, cùm dimiſſo ſancto otio, quo vacandum erat Deo, turpes quæſtus captantur, per dedecentia & à religioſo ſtatu abhorentia mercimonia atque negotia. [Quapropter (aiebat Iuſtus Abbas ſermone ad ſuos Ciſtercienſes, cùm per alia, tum nominatim per negotiationes ſecularium proprias, aut labantes,

tes, aut collapſos,) moneo & rogo Fratres chariſſimi, vt mundum quem reliquimus, ſub prætextu quarumlibet vtilitatum non reſumamus. Non poſſumus diſſimulare, quia nihil opertum quod non reueletur, & iuxta vulgare prouerbium; *Si eſt qui faciat, eſt & qui dicat. Aures ſaltus habet, planities oculos.* Itaque arctum & glorioſum iter, quod ſingulari præ cæteris voto & habitu ingreſſi ſumus, ſingulari præ cæteris ſtudio teneamus, non redeuntes retrò; nec declinantes ad dexteram vel ad ſiniſtram. Retrò redit, qui vitam Monachi cum habitu deſerit. Ad dextram declinat, qui habitu retento apertè malum facit. A quo tripartito errore vos cuſtodiat Chriſtus Dominus, qui eſt via, veritas, & vita; Viuens & regnans cum Patre & Spiritu Sancto, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.]

Hæc clauſula quia pia & religioſa eſt, mea item eſto. An verò eadem me in hac meta ſors manet, quæ Iuſtum in ſermonis ad ſuos negotiatores concluſione? Nam ſubiecta ibi Notatio, ſic habet: [Pauci reſponderunt, AMEN. Erant enim oculi eorum indignatione grauati, & ignorabant quid reſponderent ei. Tunc IVSTVS ait: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.*]

CRAS ALTERA MITTAM.

LECTORI.

CVM hæc opella ab Authore conſcripta eſt, nondum ad eum peruenerat Decretum Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ, *quod conditum eſſe haud falſo rumore inaudiuerat, vt meminit* §. initio. *Nunc quando hoc decretum ad manus noſtras deuenit, cuius Iuſtitiam & honeſtatem, vniuerſa hæc lucubratio demonſtrat, viſum eſt è re Lectoris, illud hîc repræſentare, vt ſenſus Authoris, cum ſenſu Excubitorum ſacrorum, planè conſentire deprehendatur: ſic habet.*

DECRETVM

Sacræ Congregationis Viſitationis Apoſtolicæ S. D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. conſtitutæ, contra Religioſos, & Eccleſiaſticos quoſcunque quæſtuoſas artes exercentes pro ſecularibus.

CVM non deceat eos, qui diuino miniſterio adſcripti sũt, in ſecularibus negotiis nimium eſſe implicatos quæſtuoſas artes exercendo

xercendo Sacra Congregatio Apoſtolicæ Viſitationis ad tollendos varios abuſus, qui in diuerſis Vrbis, eiuſque diſtrictus Monaſteriis irrepſerunt, dum ijdem Religioſi per ſe, vel à Communitatibus, aut alijs ſecularibus requiſiti diuerſas mechanicas, ſeu venales artes exercere ſtudent, quod omninò ab Eccleſiaſtica diſciplina alienum eſſe debet, cùm præſertim in graue hoc artium, & pauperum Artificum, earumquè familiarũ in Vrbe, eiuſquè diſtrictu exiſtentium præiudicium cedat.

Statuit, decreuit, atque inhibendo mandauit omnibus tam ſuperioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuũ, Collegiorum, Domorum, ac locorũ Regularium in Vrbe, eiuſque diſtrictu exiſtentium; quàm particularibus Religioſis, & Eccleſiaſticis quibuſcumque, ne impoſterum, ſiue Religionis nomine, ſiue particulari audeãt, & præſumãt per ſe, vel alios exercere in ſuis Conuentibus, aut alibi in quocumquè loco vllam venalem artem, ſiue Aromatariam, Piſtoriam, Lanificium textrinum, aut aliam quamlibet præterquam pro ſuis Religioſorum, aut Alũnorum vſibus, nec vllo modo ſecularibus, aut alijs Religioſis, & Eccleſiaſticis, phar-

maca, panem, carnes, aut alia quælibet opificia quomodocumque elaborata, & ornata vendere etiam prætextu amicitiæ, & familiaritatis, abſque ſpeciali licentia in ſcriptis obtinenda, etiam ab ijs Religioſis, quibus ex particulari ſuæ Religionis inſtituto id aliàs liceret.

Si quis verò ipſorum aliquid contra hoc decretum quoquomodo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam ſuſpēſionis à diuinis, priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vociſque actiuæ, ac paſſiuæ abſque alia declaratione incurrat.

Et nihilominus contra eos Generalis Theſaurarius procedat tanquàm contra illicitos negociatores, confiſcando omnia lucra, & capitale, ad dictas artes, & opificia ſpectantia.

Non obſtantibus, quoad ſupraſcripta omnia, & ſingula in prę́ſenti decreto contenta, Cō̃ſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis in fauorem quarumcumquè perſonarum, atque Ordinum, ſiue Congregationis Caſinenſis, fratrū Prædicatorum, Societatis Ieſu, Minimorum, aut aliorum quorumcumquè, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium,

dicantium, Congregationum, Societatum, ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, ac in indiuiduo exprimendi Ecclesiarum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, & aliorum quorumcumquè Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris; Sacra Congregatio Sanctitatis Suæ auctoritate specialiter, & expresse derogat, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Et ne præmissorum ignorantia à qu quam pretendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt presentes ordinationes in Valuis Basilicarum Sancti Iohannis Lateranensis, & Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ, vt moris est affixæ, omnes ad quos pertinet ita arctent, & afficiant, ac si vnicuiquè personaliter intimatæ fuissent. Vtquè earumdem præsentium transumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur,

quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ die 29. Auguſti 1637.

I. B. Epiſc. Cam. Viceſg. & Secret.

Odoardus Tibaldeſcus eiuſdem Viſitationis Apoſtolicæ Not.

Die, & Anno ſupradictis affixum, & publicatum fuit ſupradictũ decretum ad Valuas Cam. Apoſt. & in Acie Campi Floræ, & alijs locis ſolitis, & conſuetis, vt mos eſt, per me Petrum Paulum Deſiderium Apoſt. Curſorem.

Pro D. Magiſtro Curſorũ Andreas Scalmanus Curſ.

